

www.e-rara.ch

Polydori Vergilii Urbinatis de rerum inventoribus libri octo

Vergilius, Polydorus

Basileae, 1575

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-24>

Polydori Vergilii Urbinatis de inventoribus rerum lib. VI.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

manum consimileq; Hebræorum institutis, in ueterū religionē, feliciter, quod supra ex Apuleij lectione cōstat, atque hic amen, quo significatur, ut ea quæ supra sunt uerè dicta, confirmentur. Super ea re extat breuis epistola D. Hieronymi ad Marcellā. Hæc pauca libuit exponere, ut unicuiq; rem diuinā facturo, obuia esset eiusmodi uerborum significatio.

POLYDORI VER-
GILII VRBINATIS DE INVEN-
TORIBVS RERVM LIB. VI.

De pio pœnitendi initio, atq; duplici pœnitentiæ, quam uocant, genere, & de primo confitendi delicta instituto, & qualis sit publica confessio, ac ibidem de triplici purgatione pœnitentium. Cap. I.



Principium religionis Christianæ cum ueneratione Christi, & regum, item originem & exitum coniugij sacerdotalis, & modum contrahendi, ac ritum sacrificandi, cum apud Hebræos, tum apud nostros, iuxta & orandi, & quantum mortalibus ipsa Christiana religio profuerit, superiore libro exposuimus: iam idcirco & alia quæ ad institutum pertinent opus, differamus. Primum omnium scire licet pœnitendi initium à Deo profectum esse, qui ita pro sua erga nos miseros mortales misericordia, factum uoluit, quod probat atq; affirmat Tertul. in eo lib. quem de pœnitentiâ, quam uocamus, composuit, ubi inquit, Omnibus delictis seu carne, seu spiritu, seu factis, siue uoluntate commissis, qui pœnam per iudicium destinauit, idem & ueniam per pœnitentiâ spondit,

pondit, dicens ad populum, *Pœnitere, & saluum faciam te. & iterum, Viuo, inquit Dominus, & pœnitentiã malo quã mortẽ. Ergo pœnitentia uita est, quum præponatur morti. Et pergit, Bonũ est pœnitere an non? Quid reuoluis? Deus præcipit. At enim ille nõ præcipit tantũ, sed etiã hortatur. Inuitat premio ad salutẽ, iurans etiam. Viuo dicẽs, cupit credi sibi. O beatos, quorũ causa Deus iurat! Hucusq; ille. Hinc homines pœnitendo cœperunt sese Deo de peccatis purgare, ut in Leuit. est, cap. 5. Deus de Seruator noster ut nos ex omni parte immortalitate donaret, postremò portionem salutis, celestemq; partem nobis propinauit apud Ioã. Euang. cap. 6. dicens, Caro enim mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus. Qui edit meã carnẽ, & bibit meũ sanguinem, in me manet, & ego in illo. Et pergit, Qui edit hunc panem, uiuet in aternũ. Verũ quia non decebat, ut quispiã non mundus tam purũ nectar hauriret, tamq; salutarẽ ambrosiã esse auderet, idcirco Apost. docuit, ut accedendũ esset ad ea sumenda, aiens, Itaq; quicumq; ederit panẽ hũc, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autẽ homo seipsum, & sic de pane edat, & de calice bibat: nã qui edit aut bibit indignè, iudicium sibi ipsi edit & bibit, etc. Sed quomodo probabit se homo, quũ nemo possit esse tam prudẽs, tã sagax, quim aliquando labatur? Quod Deus opt. max. sciens, pro sua benignitate aperuit nobis portũ salutis, ut huic necessitati, cui fragilitas carnis subiecta est, medicina pœnitentiæ subueniret: nam præcursorẽ misit Ioannẽ Baptistam clamantẽ, Pœnitentiã agite. Attende, hoc loco*

spiritualis pœnitentia tractatur, quia omnis nostra uita
 aliud nihil esse debet nisi pœnitentia, quæ facit, ut quis,
 uelut ait Apost. transformetur per renouationẽ mentis
 suæ, & ad se reuertatur, dolendo peccatũ suum, dicente
 Seruatore, Qui odit animã suã in hoc mundo, in uitam
 eternã custodiat eam. Et hæc interior est, ac Euangelica
 dicitur pœnitentia, cuius fructus est exterior, quæ agitur
 per corporis afflictationẽ & uoluptatũ contẽptum: atq;
 ut ista ficta, uti in hypocritis apparet, ita illa nõ nisi ue-
 ra esse potest. De ea meminit Tertull. in libello definit.
 dog. eccles. Pœnitentia uera est, inquit, pœnitenda non
 admittere, & admissa deslere. Satisfactio pœnitentiæ est,
 causas peccatorũ excidere, nec earum suggestionib. adi-
 tum indulgere. Modus autẽ pœnitendi est, ut ab amore
 uirtutis, non à uitij odio, ic incipiat pœnitere. Exempli
 causa, Amato castitatem, in eaq; acquiescito, tunc tibi sta-
 tim post turpioris intemperantiæ odium sua sponte obo-
 rictur. Id modi pœnitendi præscribitur Psal. 44. Dile-
 xisti iustitiam & odisti iniquitatẽ. Atq; hoc pium est pœ-
 nitendi initium. Præpostere igitur agunt, qui à peccato
 inchoant pœnitentiam, quia illud metu pœnæ, non uir-
 tutis amore, qui uitiorũ omnium fuga est, facere uidentur.
 Quapropter Christus quum uellet discipulis uerum in-
 tegræ exẽplar mōstrare, cōsueuit puellum lōgẽ inno-
 cẽtissimum in medio statuere, iubẽs ut similes illius effice-
 rẽtur, si auerent ingredi in regnum cœlorum, quod eos sic
 præsentis uirtutis imagine, ad pœnitendum beateq; ui-
 uendum facilius induceret. Siquis igitur aut cupiditate
 uictus, aut libidine impulsus, aut errore deceptus, aut ui-
 coactus

coactus ad iniustitiam lapsus fuerit, non desperet: potest enim per hunc modum reduci ac liberari, si poeniteat a-
 ctorum, & ad meliora conuersus satis Deo faciat, & ita
 resipiscat, quod & errati pigeat, castigetq; seipsum stul-
 titiae, et cōfirmet animū suum ad rectius uiuendū: quoniā
 sicut nihil prodest malē uiuenti antea actae uitae probitas,
 quia superueniens nequitia iustitiae facta delet, ita nihil
 officium peccata uetera correcto, quia superueniens iu-
 stitia labem uitae prioris abolet. Vtrunque ipse Dominus
 apud Ezech. nobis denuntiat, Si impius egerit poeniten-
 tiam, omnium iniquitatū eius non recordabor. Si autem
 auerterit se iustus a iustitia sua, & fecerit iniquitatem,
 omnes iustitiae eius quas fecerat, non erunt in memoria.
 Atque ita ultima facta aut nobis bono, aut malo sunt. Sed
 propterea quod nihil prodest inclusam habere conscien-
 tiam, quia patemur Deo, idcirco postquam satis delicto-
 rum nos poenituit, deinde oportet ultrò aperire animū,
 & perniciē uitiorum ipsi Deo, qui mederi, & uerā atq;
 perpetuā sanitatē reddere potest. Appetenda est haec o-
 mnibus medicina, quoniam in maiore periculo uersatur
 anima quā corpus. Et quia Seruator noster ut huma-
 na indutus persona ubiq; nobiscum praesens esse diu no-
 luit, proinde sui uicarios constituit homines mortales, id
 est, Apostolos ac discipulos suos cū primis, quibus dixit,
 Quorūcunq; remiseritis peccata, remittētur eis, & quo-
 rūcunq; retinueritis, retenta sunt: ut illis nostra cōfitemur
 delicta, tanquam ueris iudicibus, et ab iisdem aliquas
 affecti poena, per diuinā gratiam remissionem accipere-
 mus. Ante Christi aduentū sat erat mente fateri Deo cō-

missa, clamante Propheta, Dixi, cōfitebor aduersum me in iustitiā meā Domino, & tu remisisti impietate peccati mei. Et istuc exemplū cōfitebendorum delictorū ab Adā & Cain eius filio, qui se peccasse corā Deo nō negassent, editum esse ad imitandū, Tertull. lib. aduersus Marcionē secundo docet. At istiusmodi confitendi peccata principium fuisse non incertū habetur, quod quærere & inuestigare nostræ sunt partes. Sed postquam Deus ipse nostræ salutis causa factus est homo, necessum fuit homini qui eius locū in terris tenet, aperire pectus, & totam nudare uitam, per confessionem, quæ conscientie uox est, uti mereremur ueniam, quam IESVS Christus per passionem suam nobis impertitus est. Atq; hoc apud nos Christianos fuit primum confessionis institutū, ad quod beatū Iacobū alluisse ferunt, quū dixit, Cōfitemini inuicē alius alij delicta, & orate pro uobis inuicē, ut sanemini. Illud sic nos Deo reconciliatos uoluisse uidetur, ut remisissimā offensis, amicus inter nos uiueremus. Fuit illa omnino confessio, quam publicam uocant, quæ postea, ut quidā, quibus omnino plus sapit palatus quàm cor, tradunt, exemplo patribus fuisse uidetur, ut secretiorem instituerint, qua, priore omiſsa, nūc utimur maximè necessaria, quādo per eam, cum corporis, tum animi uitiiis foedē labentes, Deo semel atque iterum reconcilianur. Verū tamen ego affirmare ausim, huiusce secretioris confessionis auctorem fuisse Christum, qui, quemadmodum supra ostendimus, auctoritatem fecit Apostolis remittendi pariter atq; retinendi aliorū peccata. Quæ sanè potestate ecquo illi pacto uti potuissent, nisi iam tum mortales

cepissent eis de suis cōfiteri delictis: Quippe solus Deus scrutator est humani cordis, ex quo omnia ferè mala quæ ab homine in hominem proficiuntur, iugiter manant, quod & factum esse testatur Lucas in Actis cap. 19. qui postquã ostendit filios Sceuæ Iudæi principis sacerdotũ ausos fuisse inuocare nomē Domini IESV, super eos qui haberēt spiritus malos, quẽadmodum Paulus faciebat, & ob id uulneratos fuisse ab homine spiritu uexato, inquit, Hoc autē innotuit omnibus Iudæis simul & Græcis, qui habitabāt Ephesī, & incidit timor super illos omnes, & magnificabatur nomen Domini IESV, multiq; credentiũ ueniebant, hoc est, ad Paulũ, confitentes & annuntiãtes facta sua. Et hæc uera confessio, & initiũ secretioris confessionis fuit. Quare parũ omnino prudentis, ne dicam sponte errantis est, aliter uel credere, seu tradere, quum eiusmodi argumẽto rei nihil profectò uideatur esse probabilius. At sunt, qui scribant, confessionem hæc apertam fuisse, q̄ necesse est, uel intelligãt esse eos homines de manifestis actibus confessos, quæ res cōfessionẽ nõ requirebat, uel non intelligãt, quod dicũt: si enim de occultis delictis palàm confessi forent, iam tum ansam dedissent inimicis ad obiiicienda sua sibi facinora cum dedecore, quod morte magis uir sanæ mentis fugere debet: ex quo confessionẽ minimè apertã fuisse satis constare potest. Atqui controuersia de nostra confessione secretiori ex eo orta uidetur, quòd eius Tertull. scriptor antiquissimus nihil meminere, id quod tamen admirationem efficere minus deberet, quia res noua ac in nonnullis ecclesiis adhuc inusitata haud statim potuit in animos hominum gene-

ratim irrepere, quū præsertim per pudorem non facile li-
 ceat admissa cuius prodere. Cæterum ut modus prioris
 cōfessionis priscorum diluceat, Tertulliani, qui de ea re
 luculenter agit in lib. quem de pœnitentia scripsit, uerba
 subiiciam, quæ eiusmodi sunt: Is actus qui magis Græco
 uocabulo exprimitur, & frequentatur, exhomologesis
 est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non qui-
 dem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione dispo-
 nitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus
 mitigatur. Itaq; exhomologesis prosternendi & humili-
 ficandi hominis disciplina est, conuersationem iniungēs
 misericordiæ illic. De ipso quoq; habitu atq; uictu, sac-
 co & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, ani-
 mū uicioribus deiicere, illa quæ peccauit, tristi tracta-
 tione mutare. Cæterū pastū & potum pura nosse, nō uen-
 tris scilicet, sed animi causa. Plerunq; uerò ieiuniis pre-
 ces alere, ingemiscere, lachrymare, & mugire dies no-
 ctesq; ad Dominū Deum tuum, presbyteris aduolui, &
 aris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes de-
 precationis suæ iniungere. hæc Tertullian. Mos iste ta-
 lis confessionis flebilis & lamentabilis etiam nunc in die
 præsertim Dominicæ cœnæ, multis in ecclesiis obserua-
 tur, qui proculdubio hinc acceptus est. Postremò sequi-
 tur, ut satis Deo faciamus: quod fit quū iussu sacerdotis,
 cui facti sumus cōmissa, facimus fructus, uti Ioannes præ-
 dicabat, qui deceant pœnitentiā: nam, uti Cyprianus ait,
 pœnitentiam ille agit, qui diuinis præceptis mitis & pa-
 tiens, & sacerdotibus Dei obtemperans, obsequiis suis et
 operibus iustis Dominū promeretur. Atqui Innocentius

tertius cōstituit, ut qui iā doli capaces esse cœpissent, si nō sepius, at semel quotānis cōfiterētur peccata illis sacerdotibus, qui eorū animarū curā haberēt. Atq; hic est uere purgationis modus, ut quod dicto factōve quotidie peccamus, illud pura cōsciētiae uoce, piisq; actibus expiemus, nō autē Iudaico ritu, arietis sanguine, aut more priscorum teda, sulphure, uel aqua. In sacris ferē omnibus ethnicorū tres erāt istae purgationes, nā aut teda purgabantur & sulphure, aut aqua abluebātur, aut aëre uētilabantur. Triplicem purgationem Ouid. notat illo uersu,

Terq; senem flamma, ter aqua, ter sulphure lustrat.

Et Vergilius idem, — Ter socios pura circumluit unda,

Spargens rore leui & ramo felicitis oliuae,

Lustrauitq; uiros.

Item ouum usurpabant. Iuuenalis,

Nisi se centū lustrauerit ouis. Sic & in hoc delirabant: non enim corpus, sed animus est purgandus, utpote cuius absq; nutu, atq; renutu, nemo quisquam sit nocens.

Qui primi instituerint horas canonicas, ac sanxerint ut psalmi à choro alternis canerentur, ac quàm parum frugifer sit cantus in domo Domini mollior atq; delicatior, & ibidem de origine chori, & qui diuorum uitaꝝ scripserint. Cap. II.



Reces horarias siue canonicas, quas uocant, Hieronymus primus, Eusebio Cremonensi & plerisque aliis qui cum eo uixerant, instituisse fertur, quibus diuina in templis laudes canerentur, ut ex sacra patet historia, quas patres deinde receperunt imitati carmen Dauid, Septies in

die laudem dixi tibi. Sunt autem qui tradant, et in primis D. Cyprianus, morem celebrandi primā, tertiam, sextā, & nonam horam à Daniele sumptum, quòd ille ter in die positis humi genibus, patrio ritu manè, hora sexta et nona precari cōsueuisset. Ita, teste diuo Hieronymo, tria sunt orandi tempora, manè, id est, hora tertia, quum Spi ritu sancto afflatus sunt Apostoli: sexta, quum edendū est. Sic Petrus Apost. uolens cibum capere, ascendit circa ho ram sextā in coenaculum, orādi causa: nona, tū idem Pe trus & Ioannes perrexerunt ad templū, precandi gratia. Fuit uel illud priscorū institutū, quū apud illos sic ora retur, teste Apuleio, qui lib. .11. ita scribit, Rebus iam ritè consummatis, inchoatæ lucis salutationibus religiosi pri mam nuntiantes horā perstrepunt. Matutinas precatio nes uocat hoc loco Apuleius non ineleganter salutationes, ostenditq; modum orandi diuisum in horas sacrificiis legitimas fuisse. Postea, quod satis cōstat, Pelagius se cundus decreuit, ut ipsæ septem canonicæ horæ quotidie à sacerdotibus recitarentur, uelut præsens remedium hu manæ imbecillitati futurum, quo sicuti iustus septies in die, quemadmodum ait Salomon, fortè per inconsideran tiam cadit, ita per orandi curam, toties resurgat, conua leatq;. Singulis autem horis Gregorius præfationem de dit initium Psalmi Dauid, Deus in adiutorium meum in tende: Domine ad adiuuandum me festina: subiecitq; hy mnum illū, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, de quo alibi dicemus. Ut totidē etiam horæ in honorē Dei paræ uirginis quotidie recitarētur, instituit Urbanus se cundus in cōcilio, quod in Galliis ad Claromōtē habuit.

At Hieron. rogatu Damasi digessit Psalterium quod uocant, id est, Psalmorū lib. in 7. partes, ad numerū dierum unius hebdomadæ, ut quilibet dies certum Psalmorū numerum haberet, qui caneretur: quod ita distinctum nūc ex ipsius Damasi decreto in omnibus tēplis legitur. Fertur idem pontifex omnium primus hymnum Gloria patri, etc. qui tribus diuinis personis redditur, ad extremum quencq; psalmum adiecisse, quē in Niceno conuentu prius editum, memoriæ proditū est. Item primus instituit, ut chorus alternis psalmos caneret: quanquam non nemo tradit, id antea ab Ignatio episcopo Antiocheno institutū fuisse, quippe qui per quietem audiuiisset angelos ad eum modum uicissim psalmos cōcinentes: id quod unus uel alter à Dauid mutuatus esse uidetur, qui, teste Iosepho lib. Antiquit. 7. dicitur septem cōstituisse choros, & eos canentes ac præcedētes ipse subsequutus, dū arca Ierosolyma deportaretur. Vel Asaph imitati sunt, qui, ut supra diximus, etiam apud Hebræos, auctor fuit ordinis eorū qui psallerent. Fuit omnino iam inde ab initio mos nostris cōcinere de rebus sacris, dicente Tertull. ad uxore, Quid maritus suus illi, uel marito quid illa cantabat: Id hodie apud Germanos cum primis seruatur. At D. August. lib. Confessionū 9. ait, Ambrosium Mediolanensem antistitē, hunc canendi hymnos & psalmos morem primum apud occidentales instituisse populos: quod non utiq; multum abhorret à sententia eorum qui Damaso assignāt: nam quū ambo per idē tempus fuerint, & quod unus cœpisset, ab altero ratum haberi oportuerit, non iniuria & ambo eius rei auctores dici possent. Verū

quantū iā tunc illud institutū utile esse cœperit, idē Aug. lib. suarū confessionū 10. planum facit, quippe qui à Deo ueniam petit, quòd diligentius cantum, quàm sacrorum uerborū pondus attēdisset. Sed hodie nihilo plus è republica nostra esse apparet, quando cantores nostri ita in templis constrepunt, ut nihil præter uocem audiatur, & qui intersunt, eiusmodi uocū concentu, quo eorum aures maximè calent, contenti, de ui uerborū minimè curant. Vnde eò uētum est, ut apud uulgos, omnis ferè diuini cultus ratio in istis cantoribus sita esse uideatur, quos bona pars populi, ut audiat, in sacras ædes uelut in theatrum concurrat, eos pretio conducit, eos fouet, eos deniq; solos domui Dei ornamento esse existimat, tantò molliores & delicatiores in cantu flexiones & fictæ uoculæ uulgos magis delectant, quàm certæ & planæ: ac ei gratior est sonus, qui tremulo è gutture funditur, quàm qui cū grauitate editur. Quare dubio procul ex religionis usu foret, ita constituere, ut canentes hymnos modulatè distincteq; more fermè legentium, pronuntiarent, eo quidem sono, quo nunc apud nos, in Canone sacro, præfationes & Dominica precatio canitur. Quod diuum Athanasium Alexandrinum episcopum olim in diocesi sua fecisse August. in prænotato li. attestatur, atq; magnopere laudat, Chorus autem multorum uocibus constat, ita ut ex pluri- bus una reddatur, fiatq; concentus ex dissonis. auctor Seneca, & Macrobius. Chorum à χορὴ, id est, lætitia, dici autumat Plato lib. 2. De leg. Ego uerò dixerim huiusmodi cantica bene magna ex parte, à ueteribus ad nostras cæremonias esse translata, apud quos ad symphoniam sacri-

sacrificabatur, teste Liuiio lib. ab urbe cond. 9. ubi ait tibicines solitos præcinere sacrificiis. Sed uel id planius scit pes spondeus ita dictus, quod in sacrificiis libantes eo maxime uterentur: nam Græci σπονδύριον, libamina appellant. Numa Pompilius hunc pedem pontificum nuncupauit, quum spondei melos, id est, cantu, patrios placaret indigetes. Præterea thure incensis altaribus, tibicinæ spondeum canere iubebant, ut duabus lōgis symphoniis quasi duplicibus & iugibus uocibus, prospera deorum uoluntas firmaretur. Sic Cicero tradit pudicam mulierem, quum uiolenti iuuenes eius fores frangerent, admo-
nuisse tibicinam, ut spondeum caneret: quod quum illa fecisset, tarditate modorum & grauitate canētis, illorum furorem consedasse. Meminit & huius rei Quintil. in 1. De instit. oratoria. Sed ad Damasum redeamus. Is quoque instituit, ut ad singulas horas canonicas recitaretur, pres-
sa tamen uoce, symbolum, quod ad differentiam Nicenæ symboli, uulgò breuius & Apostolorū appellatur: quã-
uis certius sit, ut multi tradunt, istud, nō illud, in Niceno concilio editum. Vitalianus uerò canendi modum inuenit decentissimum, quo hymni sacri canerētur, quod ante eum Gelasio & Gregor. etsi non nemo assignat, adhibuitque ad eum organa. De eiusmodi musico instrumento affatim tradidimus supra lib. 1. cap. 15. quum de instrumentis musicis dictū est. Vitas diuorū, quas lectiones appellamus, Paulus Diaconus & Isuardus monachus circiter annū salutis DCCC. rogatu Caroli magni scripserūt. Et quoniã quū aliàs, tum præsertim imperate Diocletiano, Damasus & Euseb. testantur, ad decē & septē Christia-

norū millia, diebus tātūm triginta, per diuersas prouin-
 cias afflicta suppliciiis fuisse, difficile erat singulorū uel
 uitas describere, uel diem festum cui libet dare, illi pro-
 pterea cōposuerūt lectiones, quas appellamus, quæ mar-
 tyribus pluribus, cōfessoribus, quos uocant, uel uirgini-
 bus conuenirent, quas patres de concilij sententia postea
 cōprobarunt, certisq; diebus qui ipsis diuis sacri habe-
 rētur, recitari inter horas canonicas mādarūt. Post hæc
 quidam putantes fore ut quis in multiloquio suo facilius
 exaudiretur, preces alias insituere, quædam mutuati ab
 his canonicis, quas ad distinctionem suarū, Romanas ap-
 pellarunt: nam Benedictus suis monachis certum oran-
 di modum præscripsit, item Bernardus suis, Dominicus
 suis. Quin & singuli prouinciales antistites idē fecerūt,
 ut hodie alij alias preces usurpēt, & id factum sit, uel Ro-
 manorum pontificum consensu, qui nihil respuere uo-
 luerunt quod diuinum augeret cultum, tametsi Christo
 breuior, non item longior precandi modus probatur.

De initio ieiunij, & primo elemosynæ usu, ac ibi-
 dem quale uerum sit ieiunium, atq; de ieiunij aduen-
 tus quem uocant, & quadragesimæ uario primordio,
 & unde dicta sit, ac feriæ quartæ cinerum,
 quatuorq; temporum instituto.

Cap. III.



Docet diuus Augustin. in sermone LIX. de
 tempore, ad fratres, precibus, de quibus iam
 abundè suprā diximus, duas esse alas anne-
 ctendas, ieiunium, & elemosynam, hoc est,
 ut uocamus, largitionē misericordiæ causa inopi factam,
 quò

quò celerius in cælum aduolare, id est, Deo longè acceptissimæ fieri queant: quia bonæ fiunt illæ preces, uti in Tobia est, quas ieiunium & eleemosyna comitatur. Ieiunij initium ab urbe statim condito factum est, quum primis nostris parentibus in amœnissima terræ parte, cui paradysus Graia uoce nomen fuit, constitutis interdicta est arbor, à qua abstinerent, ut sic obtèperando, beatissimam uitam degerent, malorum omnium expertem, terra sua sponte ferente omnia, & Deum creatorem suum spiritu, uti minus mole corporea onusto, facilius colerēt. Imò, ut Ambrosius ait, primus mundi usus cœpit à ieiunio, qui in lib. de Helia & ieiun. ita scribit, Quinto die produxerunt aquæ repentiâ animarū, & uolatilia uolantia super terram, & adhuc seruabatur ieiuniū. Sexto die bestia sunt creatæ, & cum bestiis orta edendi potestas, & usus escarum: inde lex de ieiunio lata est, pœnaq; uiolatori indicta, dicente mandato Dei, De ligno quod est scientiæ boni & mali, non comedetis: qua die autem ederitis ex eo, morte moriemini. Hactenus Ambr. Ita nihil prius Deus præscripsit homini, quàm ut abstineret. Atq; ieiunij talis fuit origo. Verū abstinentia haud diuturna in parentibus fuit: nō multò post commiserunt, ut alteram, credo, precationum alam experirētur: quapropter dum in cælo esse sibi uidebantur, amœnissimo domicilio sedeq; illa beatiore expulsi, sese nudos subito repererunt, ac tum primum alienis opibus egentes, à Deo pelliceas tunicas acceperere, quibus operirentur: inde rerum omnium magis indigentes solum laboriosè uertere, & per sudorem ac ærumnam uitam agentes,

expectare fructus terræ, quæ iam cohibita nihil ultrò amplius ferebat, coacti sunt. Subiit & morbus, têtareq; cœperunt frigora & æstus insueta corpora, sicuti oraculum prædixerat ea uitæ incōmoda ad eūda esse, si minus diuinæ legi paruissent. Et hinc simul eleemosynæ usus esse coepit, qui inter oēs gētes, tantum deinceps increbuit, quantum pauperies semper serpsit. Sed hanc nō uno humanitatis uel liberalitatis genere metiri licet: quodcūq; enim charitatis officiū in alterū præstatur, id eleemosyna est. Cæterum Moses primus eleemosynæ dandæ usum introduxit, dicens, ut in Deuteron. extat, Non deerruit pauperes in terra habitationis tuæ: idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecū uersatur in terra. Quod uel Christus approbavit, quū inquit, Date eleemosynā, & ecce omnia munda sunt uobis. Et rursus alibi, Vendite quæ possidetis, & date eleemosynā. Magna nempe uis eleemosynæ, quum in ea tam bene omnia bona nostra locata uelit Seruator. Sed quibus danda sit, audi D. Hieronymum cum Seruatore docentem, & dicentem, Vade, uende omnia tua, & da pauperibus. Pauper non utiq; ille, qui mēdicitate & squallore coopertus est, & tamen nō recedit à uitiis, sed qui bonus est. hæc Hieron. Et Salomon, Da misericordi, & ne suspicias peccatorem. Illis igitur, teste etiam Ambrosio, quos scimus ignauē potius, quā ex necessitate ostiatim de cibo rogare, debemus cōsulere, ut bene agāt, ac eos obiuergādo commonefacere, ut sine uitæ ignauiā, uelint in sudore uultus, sicut diuina iubet iustitia, & queritare uictum, & esse panem suum. Et hæc ut magis
pia

pia & salutarior, eleemosyna spiritualis nuncupatur. Est tamē cōmuniter danda eleemosyna omnibus egentibus, quando ea non tā accipiētibus quā dantibus prodest. Sed de ieiunio iam agamus. Manauit & illa ieiunij ratio ad posteros: enimvero carnis ac uini usus ab Adam ad Noë usq; ignotus fuit, ut infrā cap. 6. demonstrabitur. Cibo se abstinuit Moses 40. dies, ut dignus esset, qui Legē acciperet à Deo: neq; enim, sicut Ambro. in eodē libello de ieiunio ait, introisset in nubem, & uocē Domini loquētis de medio igne, sine periculo audiuisset, nisi munitus armis ieiunij fuisset: quippe quòd uitiofas corporis partes cōprimit, hominemq; puriorē reddit ad res diuinas tractādas. Deinde abstinuit Helias & postremò Seruator noster dies totidē. Item Niniuitis Iona prophetae opera & cohortatione, poenitētibus per ieiunium uenia datur. Ita Iudæi abstinerere cōsueuerunt, quoties à Deo ope aduersus calamitates implorare, aut eum iratum placare, uel aliquid usui uitæ necessarium rogare, seu acceptorum beneficiorum memoriā redintegrare, uel dies festos agere uoluissent. Demum Christus et ieiunium obseruādum esse, & ieiunij modum docuit, quum apud Matt. cap. 6. dixit, Tu uerò quum ieiunas, unge caput tuum, et faciem tuā laua, ne cōspicuum sit hominibus te ieiunare, sed patri tuo qui est in occulto, & pater tuus qui uidet in abdito, reddet tibi in propatulo. At ieiunio uidetur nomen inditum ex intestino, quod ieiunum dicitur: quia, teste Corn. Celso lib. 4. nunquam quod accipit, continet, sed protinus in inferiores partes uentris mittit: hoc argumento, ut more ieiuni intestini, minus nos cibis one-

remus, quū abstinemus, quod propriū cōtinētiæ est. Verum autē ieiuniū seruat, nō qui à carnibus tantū cœnāq; abstinet, id quod uulgus absolutū ieiunium existimat, sed qui simul & affectionibus aliquid adimit, ut minus permittat iræ quā soleat, minus superbiæ, minus cupiditati, nihil uoluptati, ac patienter ferat siquid aduersi incidērit. Hæc omnia Epictetus Stoicus duobus uerbis, quæ frequentissimè usurpabat, pulcherrimè cōprehēdit, Sustine, & abstine. At Origenes in hanc quoq; sententiam, Vis, inquit, ostendā, quale te oporteat ieiunare ieiunium? ieiuna ab omni peccato, nullū cibum sumas malitiæ, nullas capias epulas uoluptatis, nullo uino luxuriæ conculescas, ieiuna à malis actibus, abstine à malis sermonibus, cōtine te à cogitationibus pessimis, noli cōtingere panes furtiuos peruersæ doctrinæ, nō cōcupiscas fallaces philosophiæ cibos, qui te à ueritate seducāt: tale ieiuniū Deo placet. Ut igitur ad hanc tanti præmij messē sæpius uigilaremus, ut ad cœlestiū bonorū gustū eniteremur frequentius, Apostoli uolentes Christianos imitatuos esse Seruatoris abstinentiā, instituerunt, in quadraginta dies ieiuniū ante Pascha seruandū. Id esse uerum testis est diuus Hieron. in epist. ad Marcellam aduersus Montanū, qui plures quadragesimas seruādas prædicabat, scribēs: Nos unam quadragesimam secundū traditionē Apostolorū, tempore nobis cōgruo ieiunamus, illi tres in anno faciunt quadragesimas, quasi tres passi sint Seruatores, nō quòd & per totū annū, excepta Pētecoste, ieiunare nō liceat, sed quòd aliud sit necessitate, aliud uoluntate minus offerre, & reliqua. Imò, si Chrystostomo credimus,

ip̄sius

ipſius Chriſti inſtitutū eſſe uidetur, qui homil. X. in Gen. de ea re ita ſcribit, Nā quēadmodū in uis publicis ſunt ſtationes & diuerticula, in quibus feſi uiatores & reſpirant & quieſcunt, ut alacrius poſtea iter ſuū conficiant: & ſicut in mari ſunt portus, ut in eos ſe recipiāt nauigātes, dum uentorū impetus conquieſcat, & ſic iterū nauigare incipiant: ita & nunc his qui in hac quadrageſima ieiunij curſum ſuſcepere, quaſi ſtationes & diuerticula, & portus, per duos hebdomadæ dies Dominus quietem largitus eſt, ut & corpori aliquātulū ieiunij labores remittāt, & exactis duobus illis diebus, in pulchre cœpto itinere alacriter pergant. At non nemo Telephoro illud primò aſignat, & quidem falſo: nam Telephorus auxit potius dierum numerū, quā eius inſtituti fuit auctor, qui fertur conſtituiſſe, ut per ſeptem hebdomadas ante paſcha, ieiunium obſeruetur. Hoc tēporis ſpatio cōputātur quinquaginta dies, quibus quotidie, ne uno quidem prætermiſſo, ieiunio corpus edomandū erat: ſiquidem ex decreto Melchiadis perſpicuē apparet, nullos tū Dominicos dies à ieiunio uacuos fuiſſe: ille enim per diu poſtea ſanxit, ne Dominico, nève quinto hebdomadæ die ieiunium celebraretur, quòd eos dies idolorum cultores quaſi ſacros agerent. Sed hoc poſterius paulatim obſoleuit. illud uerò ſuperius iā ante Melchiadē in uſu erat, dicente Tertul. in lib. De militis corona, Die Dominico ieiuniū nefas ducimus: eadem immunitate à die Paſchæ, uſque ad Pentecoſten gaudemus, etc. Verū ita forte accidit, ut inſtitutum iam intermiſſum, à Melchiade renouatum fuerit. Quare Chryſoſt. eos ipſos dies, ut ſuprà

ostēdimus, à Domino datos ad recreādum corpus, rectē affirmare uidetur. Ad hūc deniq; modū Telephorus non inſtituit quadrageſimā, ſed ad eam unam addidit hebdomadam, qua ſacerdotes duntaxat, ultra alios abſtinerēt, ut illi qui ſanctiores eſſe debent, uel in hac obſeruatiōe ſancta, aliquid plus quā reliqui abſtinendo præſtarent. Poſthac Greg. ſcripſiſſe fertur Auguſt. Anglorum antiſiti, ut curaret quō Anglici quoq; ſacerdotes, ſecundum Telephori decretum, ieiunium ſeruarēt. Et id temporis ſpatium quinquageſima dictum, ſicut latē patet in cano. decretis, ubi de ieiunio agitur: & id inſtitutū deinde Aurelianenſis cōcilij auctoritate antiquatum. Ceterū unde dicta ſit quadrageſima, & quod habuerit principiū, facile ambigitur. Etenim longo iam uſu uenit, ut quadrageſima abſolutē ponatur pro eo XL. dierum ſpatio, qui ſunt ieiunio ſacri, ſed quā Latinē neſcio, niſi dicatur, quia ordine eſt dies quadrageſima ſacri ieiunij, & ſinis eiufdem: ac inde ſic nominetur, quōd ſit ultima dies ex quadraginta, ſicut ſecundus eſt ultimus ex duob. Atqui fuere nōnulli, qui iſtiusmodi partem temporis tanquam totius anni decimā ſacro ieiunio darent: nam quum annus cōſtet ex CCCLXV. dieb. ac horis ſex, decima pars eſt triginta ſex dies, & neſcio quot horæ: & quia deinde quatuor dies, ſicut inſrā dicemus, additi ſunt, ex eo, et ſi ſatis ineptē, nomen cōpoſuerunt, ut quadrageſima nuncupata ſit, quaſi quatuor & decima. At iſtuc ne ſomniū noſtrum, cui ſimile eſt, fortē putes, ſcriptum leges lib. diuinorum officiorum 6. Quadrageſimā uerō alij iā uſq; ab initio incipiebant eo die, qui nunc eſt primus ipſius
quadra-

quadragesimæ Dominicus dies, ac ita continebat in se duos & quadraginta dies. alij uerò à secunda feria præteritæ hebdomadæ: quod hodie nostri monachi atq; Narbonenses Galli obseruant. Verùm quū in eo XLII. dierū numero sex interessent Dominici dies, quibus ex scito Melchiadis, fas non erat per ieiunium abstinere, idcirco D. Greg. quemadmodū eodem in lib. patet, ut quadragesimā redigeret ad XL. dies ieiunio sacros, addidit ad eū ipsum numerum dies quatuor, uoluitq; feriam quartam præteritam, esse caput quadragesimæ, quam multis cum cæremoniis, tū sacris, sanctam & celebrè fecit. Primum enim in Missa legitur illud Ioël prophætæ secundum caput, ubi de pœnitentia agitur: deinde aliud Matthæi euāgelistæ, quo ueri ieiunij modus præscribitur. Sed ante initium Missæ factum, cineres cōsecrātur, quibus populus aspergatur: sic nāq; apud Iudæos, eos quos maxime pœniteret, cinere conspergi solitos tradit Hieremias cap. 25. Deinde sacerdos imponit eos cineres super uerticē capitis cuiusq; dicens, Memento homo, quia puluis es, & in puluere reuertēris. apud alios ait, Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuertēris, In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Amen. Atq; hinc ea dies feria quarta cinerum appellatur. Ita cuncti generatim mortales semel saltem in anno redduntur mortis memores, quod facit ut rectius uiuamus, certò scientes nobis esse moriendum. Ad eum modū Dominus, ueluti est lib. Gen. cap. 3. admonuit Adā postquā peccauerat, & in mortis necessitatē inciderat, de humani corporis imbecillitate, dicens, In sudore uultus tui uescere pane, donec reuertaris in

terrã, de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuertèris. Postremò ut ne ocys quàm ieiuniũ requireret, populus ad prandium aduolaret, iussu est, ut sacra omnia ad nonã usq; horã producerentur, recitatis etiam simul uesteris, quas uocant. Quæ sanè ceremoniæ ac sacra partim D. Greg. opera & auctoritate, partim Cabilionensis concilij decreto instituta sunt. Est autem Caballio, seu Cabellio, uel Cabillio, ita uariè apud ueteres auctores legitur, teste Ptolemæo, urbs in Lugdunensi Gallia celebris, in qua ea frequens synodus habita est. Ad rem redeo. Eorũdem quoq; Apostolorũ decretum fuit, ut tres hebdomadæ ante natalẽ Domini, ut solennes celebrarentur, adiunxeruntq; illis ieiuniũ, quod aliquandiu publicè seruatum ferunt, nunc uerò monachi maximè omnium obseruant. Calistus uerò primus omnium instituit, ut frumenti, uini, & olei gratia, ter in anno ieiuniũ ageretur, die præsertim sabbati, id est, quarto mense, septimo, & decimo, si inchoemus annum à Martio, Hebræorum more. Inde mutato consilio, in quatuor partitus est anni tempora id ieiunium, in uer, æstatem, autumnum, & hyemẽ. Quibus temporibus deinceps ratio sacrorum ordinum habita est, quum id antea tantummodo Decembri mense fieri consueuisset. Sunt tamen qui Urbano attribuant huiusmodi quatuor temporum, ac ieiunij distinctionẽ, quæ antea hominum imperitia confundebantur. Sic utrunq; fieri potuit, ut Calistus primũ instituerit, dein Urbanus ieiunium in quatuor tempora digesserit. At ista ego à Romanis accepta esse dixerim, quos Ouid. in Fast. tribus anni temporibus fructuum gratia, totidem sacrificia

cia dicit fecisse, uinalia, robigalia, floralia: prima causa uini, altera frugū, Deo qui Robigus dicebatur, sacra septimo Cal. Maij, quoniam tunc ferè segetes robigo occupat, ut ait Plin. tertia cūctorū fructuū, quibus dea Flora præerat. Hinc igitur apparet priscos Romanos pōtificates eadē quoq; anni tēpora non inani superstitione, sed ieiuniis tribus ex eadē causa celebrasse, quò uanos ueterum ritus in uerū pietatis cultū uerterēt. Deinde patres nōnulla alia cōstituerūt ieiunia, quæ etiā ponere minimè tædebit.

De ritu uigiliarum noctu agendarum ad ædes sacras, & de conuiuio Dominico uel quale illud foret, & quando primū sacra uigilia in ieiunium fuerint mutata: & ibidem, nocturna sacra apud ueteres semper fuisse damnata, atque de instituto ieiunij quarta & sexta dierum hebdomadæ. Cap. IIII.



Os fuit statim ab initio crescentis religionis, ut quia Seruator Christus noctu nasci uoluisset, sacerdotes nocturno tempore surgerent, horasq; canonicas canerent, ac profani similiter uiri atque mulieres de media nocte surgerent, & dies præsertim paschales agerent pernoctantes in templo, ibiq; orarent, & die cœnæ Domini conuiuium concelebrarent, quod Dominicum conuiuū appellabant, unaq; eodem loci frequenter conuiuarentur, ubi simul inopes cibo reficiebantur. Hæc ex Tertulliani libro ad uxorem secundo, habui hoc loco appositè referre. Item D. Hieronymus, qui in sermone de obseruatione uigiliarum, aut quisquis illius auctor est (nam de ea re ambigitur) inquit, Hæc & huiusmodi tan-

ta ac talia ideo sancti illi cecinerunt, & scripta reliquerunt, ut nos eorum posteris paribus excitaremur exēplis, ad celebrandas etiam noctibus salutis nostræ excubias. Quod nēpe ex præcepto Domini fiebat, dicentis suis discipulis, Sic non potuistis una hora uigilare mecum? Vigilate & orate, ut ne intretis in tentationē: spiritus promptus est, sed caro infirma. Et Propheta illud ipsum decantat, Media nocte surgebam, ut confiterer tibi super iudicia iustitiæ tuæ. Item Apostolus ait, Orationi insisistite uigilantes. Hinc populus quoq; imitans illos pastores qui circa Bethlehem atq; gregem suū nocte excubias agētes, meruerunt primi de ortu Domini cognoscere, solebat ea nocte quæ diem quempiā præcessisset solennem, in templis ad sepulchra martyrum pernoctare orando, sacrosq; hymnos canendo. Quod C. Plinij testimonio comprobatur, qui quum Bithyniam prouinciam obtineret, motus misericordia ob multitudinem Christianorum interemptorū, ad Traianū, cuius iussu ea seuitia eruperat, scripsit, multa hominū millia quotidie obrūcari, in quibus nihil omnino sceleris inueniretur, nisi quod essent soliti stato die ante lucem conuenire, carmenq; Christo quasi Deo canere. Tū Traianus rescripsit, hos homines inquirendos quidem nō esse, oblatos uerò puniri oportere. Ad hæc Tertul. in Apologet. animo cōmotus inclamat, O sententiam necessitate confusam! Negat inquirendos, ut innocentes: & mandat puniri, ut nocentes. Parcit & scuit, dissimulat & animaduertit. Quid temetipsum censura circumuenis? Si damnas, cur non & inquiris? Si non inquiris, cur non & absoluis? Hæc ille. Sed quid damno-

damnosa, uti ait Horat. non minuit dies? Ea enim pietas postea paulatim in impietatē, illi sacri hymni in dissolutas cantiunculas, preces illæ in procaces affectus uerti cœperunt: nā in eo nocturno cōuentu, pueri puellæq; amores iam licentius meditari, iuuenes palam stuprū offerre, senes lenocinium facere, & matronæ passim corrumpi minus erubescabant. Quod Vigilantius, qui mox in hæresim est lapsus, præsentiens, ut idoneam culpādi ansam amplexus, cœpit eas excubias maxime omnium impugnare, publicèq; execrari. Contrà Hieron. qui ab eo criminatore nihil nō in malam partem asseri suspicabatur, grauius repugnabat, argumentans paucorum culpam non debere religioni damno esse, quia qui peccarent uigilando in templis, possent etiam in suis domibus uel in alienis eadem facere: atq; nō illepidè in illū cauillans aiebat, Hoc facit contra uocabulum suum, ut uelit dormire Vigilantius. Sic res in aliud tempus reiecta, ita auxit contagionem, ut domus Dei iam iam, sicut ueritas dicebat Iudeis, facta esset spelunca latronum, hoc est, stupratorum. Quod patres ubi animaduuerunt, ut ne id malum latius serperet, tandem aliquando instituerūt, loco uigiliarum ieiunium illis diuis, pridie diei cuiusq; festi, si ille celebris ac præcipuus esset, & sacerdotes nihilominus de media nocte surgerent, ac horas suas celebrarēt: quia, uti Cyprianus ait, efficax sit precatio præcedente ieiunio. Mansit dein uigiliarum, id est, officij nomen huiusmodi ieiunio, quod æquè obseruatur ac quadragesimale. Atq; huic crescenti morbo tale est datum remedium, post tempora omnino diui Hieronymi, qui eo anno occi-

dit, qui fuit salutis CCCCXXII. sedente Bonifacio pontifice I. Ita Aegyptij, teste Herodoto, pridie diei festi solenne ieiunium habere, & postquam dormierant, immolare uaccam. Hunc ritum attendant, qui eiusmodi diebus grauati abstinent, quando inde scire licet nos à priscis hominibus istum accepisse abstinentiæ modum, ut non uideamur nouum obuisse munus. Ad rem redeo. Nimirum noeturna sacra semper fuisse multorum scelerum causa, id quod ad extremum fuit, quamobrem Romana seueritas, teste Liuius Bacchanalia damnarit, quum sub nomine religionis, supra puerorum feminarumque promiscua, & corruptele omnis generis fieri cepissent: & Dyagundas Thebanus, teste Cicero. De legibus omnia nocturna sacra ob illud ipsum apud Græcos lege perpetua sustulit. Quinetiam nostris Christianis iste nocturnus religionis cultus, de quo supra est dictum, labeculam aliquam infamiae apud ethnicos aspergere cepit Tertulliani tempore, qui de eorum suspitione meminit eodem libro. ad uxorem scribens, Quis ad conuiuium Dominicum illud, quod infamatur, sine suspitione dimittitur? Infamant, dixit Tertullianus, scilicet ethnici. Iam ad rem reditus instat. Item quarto & sexto hebdomadae die ieiunium indixerunt patres, quod hoc die Christus fuisset cruci affixus, & illo Iudas cum prodere animo destinasset, quod censurat Apollonius orator insignis, sicuti in decret. canon. est, qui imperante Lucio Commodo solus ea tempestate martyrium passus, quia de Christianae religionis laudibus, quod tunc capitale fuit, orationem habuisset. Testatur & de obseruatione huius ieiunij Origenes super Leuit. scribens, Habemus quartam & sextam septima-

primanæ dies, quibus sollemniter ieiunamus. Eiusmodi sexti diei ieiunium ab Anglis hodie sanctissimè seruatur, populis sine controuersia, præ cunctis religiosissimis, sicuti nos latius de ea re memorauimus in historia nostra Anglica, quæ nuper diuini auspiciis in publicum prodit.

Qui primi mutauerint Solis & Saturni dierum nomina, in Dominicum & sabbatum, ac reliquos hebdomadæ dies in ferias distinxerint, & ibidem, à quibus errantium syderum uocabula fuerint istis diebus primùm tributa. Cap. v.



Vbnectā perappositè unde feriarū nomen sit diebus hebdomadæ singulis inditū. Porro Syluester Romanus Pōtifex primus, uanorum deorum memoriam abhorrens, statuit, ut dies hebdomadæ, qui antea nominibus Solis, Lunæ, Martis, Mercurij, Iouis, Veneris, & Saturni dedicati essent, ad numerū feriarū digererentur, uocarenturq; prima, secunda, tertia, quarta, quinta, sexta feria, ad eum propè modū, quo apud Hebræos, dies nomine sabbatorū distincti fuerant. Saturni uerò diē antiquo legis uocabulo sabbatum, quod requiem significat, & primam feriam quæ in locū Solis subiecta erat, ut diem Domino sacrū, Dominicum appellari uoluit: idq; fecisse dicitur rogatu Cōstātini principis. Quāquā Apostoli primò eū diē Domino cōsecrarant, quòd Seruator noster eo die à mortuis resurrexisset, atq; otiiū sabbati, id est otiiū, sicut ait Orig. ab operatione peccati, in eundem uerterant, ut perinde apud nos Dominicus esset, ac sabbatum apud Iudæos fuerat. Quod uerū esse ex eo colligere licet, quod multò ante

Syluestrū, aut Cōstantinū, Pius Pōtifex sanxiffe perhibetur, sicut infrā demonstrabitur, Pascha Dominico die celebrari, & Tertull. eum diē Dominicū appellat, uti proximo capite demonstrauimus. Quare istud institutum forte id temporis minus seruatū, Syluester per hunc modū innouasse dicitur. Ceterū hęc dierū ratio nunc tātū in rebus diuinis habetur, quū uix Dominico die cum sabbato suum tenente locū, & id, credo, permittente Sole, & Saturno, reliqui pristinū nomen recuperauerint. Vnde profectō pudendū est, simulq; dolendum, quōd non antehac data sint istis diebus Christiana nomina, ne dii gētiū inter nos, tam memorabile monimentum haberent. Etsi astrologi Lunam, Martem, Mercurium & Iouem uocant planetas, id est, stellas, ē quibus nomina his quatuor diebus imposita sunt, quōd uis syderū efficiatur tēporis uarietas. Hinc Cic. De diuin. inquit, Quum temporū anni tempestatumq; celi conuersiones cōmutationesq; tantæ sunt accessu & recessu stellarū. Feriæ apud ueteres, erāt dies, quibus nullum opus fieri liceret, dictæ à feriendis uictimis, quæ immolabātur: uel à ferendis epulis, quæ tum maxime dabantur. Sed de iis plura in capite insequenti, quum de festis diebus sermo fiet. Quod autem receptum est, dies assignari septem stellis, quæ planetae uocantur, inuentum Aegyptiorum putatur, teste Dione historico.

De modo Christianæ abstinentiæ in cibis capessendis, quum solenne est ieiunium, ac de eorum delectu per legem habito, & unde sit usus apud nos consecrandi mensas, legendiq; sacra scripta dum editur, atque agendi gratias post sumptum cibum. Cap. VI.

Quum



Vum ieiunium agitur, primum à carne, &
 à quocunq; ciborum genere quod sapiat car-
 nem, sicut sunt lac, caseus, ova, auctore diuo
 Greg. abstinendum est. Sed carnis usum mul-
 tō antè interdictum fuisse iis qui per ieiunium abstinēt,
 testatur Chrysof. qui Greg. ducentis antecessit annis, ho-
 milia tertia ad populū, in detrectatores: Quæ enim, in-
 quit, utilitas, quum auibus & piscibus abstineamus, fra-
 tres uerò mordeamus & comedamus? Quæ lex à princi-
 pio imposta fuit, quum Deus, uti est in Gen. lib. dixit,
 Ecce dedi uobis omnem herbam seminantem semen, quæ
 est in superficie omnis terræ. Et omnis arbor in qua est
 fructus arboris, seminans semen, uobis erit in escam. Ita,
 teste Orig. primus homini cibus fuit ex oleribus & arbo-
 rum fructibus, usq; ad Noë tempora. Et eam ipsam le-
 gem in ieiunio remansisse satis constat, quādo postritas
 illa semper est usa. Abstinendum dein & à coenis, dicen-
 te Hieron. prout & in Decretis scriptum est, Sint tibi
 quotidiana ieiunia, & refectio satietatem fugiens; nihil
 enim prodest tibi biduo uel triduo uacuum portare uen-
 trem, si post pariter obstruatur. Et subdit, Sint tibi iei-
 unia pura, continua moderatāq; id est, quotidie esurire,
 quotidie prandere, & reliqua. Docet Hieron. ut semel
 in die cibum capiamus, & illum quidē circa meridiem,
 quæ temporis portio iam usu uenit, ut prandio sit data.
 Est illud ipsum iam pridem cōuentus Gabilionensis de-
 creto statutum, quo excipitur, ne quisquam ante sacra
 meridiana peracta, præsūm eat: nulla hic mētio de coena
 fit. Dixit Hieron. & refectio, id est, ipsius cibi capeffen-

di actio, satietatem fugiat: si de prandio & coena intellexisset, restrictiones pluratiuo numero posuisset. Hæc grata frugalitatis cōsuetudo maiores nostros in hoc genere ieiunij, cum summa uoluptate continuit: hæc nos esurire quotidie, quum cœnas negligimus, & prædere quotidie admonet. Sanè si in ieiunio bis cibum capere fas esset, ecquæ hîc abstinentiæ forma, uel species quidem foret? parui enim refert, quo uestaris cibo, si modò te ad summum satiaueris. Apud Rom. olim prandia non fuisse frequentia in usu, auctor est Seruius. Testatur idè Gellius ita scribens, Parsimonia apud ueteres Rom. & uictus atq; cœnarum tenuitas non domestica solùm obseruatione ac disciplina, sed publica quoq; animaduersione, legûq; plurimû sanctionibus custodita est. Romanis fœminis, ut nos alibi diximus, uini usus quondam ignotus fuit. Hebræi in solenni ieiunio uesperis tantùm comedebant, sicuti lib. Iudic. cap. 20, & 2. Reg. cap. 1. legitur. Hûc quoq; morè apud nostros aliquando seruatum Chrysostr. innuere uidetur, quum homil. 36. in Matth. prope finem ita dicat, Veniat tibi, oro, in mentem, quoties ieiunij tẽpore, mensa uesperis apposta, si minister uocatus tardiusculè accesserit, etc. Nos igitur ab iis formam ieiunij accepisse uidemur, sed alio temperantiæ argumento: illi in medias noctes sese pascebant, nos merenda contenti, reliquum diei abstinenter agimus. Hæc ieiunij ratio quamquam ab omnibus recepta est, riteq; ubiq; gētium seruatur, de ea tamè non ab re, hoc loco latius quàm uolebam memora uimus: sunt enim nōnulli, quorum Deus ueter est, ut Apostolus ait, qui uelut fruges cōsumere nati, omnia tam hu-

mana

mana quam diuina præ lautissimis epulis, haud magni ducant. Ii porrò abortiuū, ut dicunt, religionis filij contendūt esse cœnādum in ieiunio, modò carniū usus abst. Huic tā pingui esuritioni audiuius nos quandoq; apud Anglos, Londini, nescio quem concionatorē Franciscani ordinis uirum, uoluisse copiam suppeditare ciborum, imò abstinentiæ Christianæ fræna laxare, affirmantem neminem teneri capitali peccato, si quadragesimale ieiunium uiolasset, quū ex præscripto legis, nihil contrā sanctum esset. Ita homo eius sectæ, quam Christus nō instituit, de ieiunio præceptū Christi requirebat, (ut credo) suo amplo uētri haud tenuiculo cibo contēto, honestius obediret. O post hominum memoriam os importunissimum! Fac, queso mihi licere id sine capitali crimine facere, quid obest, si persuasum habeam me grauius peccare quam peccem, si nō abstineam? Officit sanè nihil, quū per id entiar patientius abstinere, quòd cum corpori tum animo & perutile atque maxime necessarium est: inclamante Origene, Nam quomodo apud eos castitas incorrupta seruatur, nisi arctioribus continentiæ fulta subsidiis? Quomodo Scripturis operam dabunt? Quomodo sapientiæ & scientiæ studebunt? nōne per continentiam uentris & gutturis? Quomodo quis scipsum castrat propter regnum celorum, nisi ciborum affluentiam reseceat, nisi abstinentia utatur mimistra? Hæc ergo Christianis ieiunandi ratio est. Hactenus ille. Proinde ex usu nostro non est, ex suggestis polliceri secus facientibus ac Christiana temperantia poscit, lexq; iubet, impunitatem, quæ malorum semper auget audaciam.

Quavis ego omnino non facile cōcesserim, id fieri posse sine capitali noxa, quando Apostolorū; uel atq; adeo Christi, ut supra cap. 3. ostendi, institutum sic uiolatur, sic patrum auctoritas floccipenditur, sic deniq; religio ipsa negligitur, quū præsertim hoc tēpus sacrum sit: de quo idem Origenes, Habemus, inquit, quadragesimæ dies ieiuniis consecratos. Atq; iam satis liquet, quantū sit piaculum dare dissolutis licentiā peccandi, ac religiosum populum à pio cōtinentiæ officio auocare, ab eiusq; pectore castum summouere metum. Ceterum extra ieiunium legitimum, & duos hebdomadæ dies, feriam sextam ac sabbatū habemus, quibus non licet uesci carnibus, prout iam ab initio ecclesia receperat, cōstituerat, ac sanciuerat, quæ porrò in hoc sequuta est Dei Legem, quam ille primus de ciborum delectu iudæis per Mosen dederat, uti est in Leuit. cap. 11. Ecquis ergo nisi ualde edax mini meq; religiosus legē duorum dierum ad Dei præscriptū latam perfringere ausus fuerit? Sed audi Tertull. de ista cibaria abstinentia lib. def. dog. eccles. ita admonētem: Abstinerere autē se ab aliquibus cibus non quasi malis, sed quasi non necessariis, nō est malum: moderari uerò eorū usum pro necessitate & tēpore, propriè Christianorum est. Ast aliis diebus nefas est Christiano homini cibū aliquē quo uescātur ceteri mortales, stomachari, repudiare, quū Seruator imperet, ita dicēs discipulis, In quācūq; ciuitatem intraueritis, & susceperint uos, edite quæ apponūtur uobis. Apostolus itidē Timotheo iussit ut prædicaret, nihil ex cibus, quibus homines uescerētur, esse reiciendū, quòd, ut eius uerbis utar, quicquid creauit Deus, bonum

bonum sit, si cum gratiarū actione sumatur: sanctifica-
 tur enim per uerbum Dei, & preces. Et idem ad Corin-
 thios ait, Atqui esca nos nō cōmendat Deo, neq; si come-
 damus, aliquid nobis superest, neq; si non comedamus,
 quicquam nobis deest. Voluit tamen abstinendum esse, si
 facultas ista comedendi foret aliquādo infirmioribus of-
 fensionī. Quocirca Eleutherius uanas hominū observa-
 tiones tollendi studiosus, statuit, contra Seuerianos hæ-
 reticos, ut nequis Christianus ab ullis abstineret ciba-
 riis quæ consueuissent mortalibus usui esse. Quod & cō-
 tra Iudæos est, qui ex præscripto Legis, porcina ac quo-
 rundam aliorum animalū carne non uestuntur: id quod
 in Leuitico fustus proditur. Ecce quā suaue sit Christia-
 næ temperantiæ iugū, quāq; leue onus: quāobrē ap-
 paret, quā impie faciāt, qui illud reicere conētur, quū
 præsertim liquidò liqueat, ethnicos multò eo grauius
 semper tulisse non inuitos, quod planū fecimus in tertio
 huius operis uolumine, cap. 5. ut qui uelint ea omnia di-
 scere, illinc queant haurire. Hæc tamen adiiciam: In ue-
 teri Instrumento legimus, sacerdotes qui ministrāt in tē-
 plo Dei, prohiberi uinū & siceram bibere, ne ebrietate
 grauentur corda eorum, ut sensus uigeat semper, & te-
 nuis sit. Priscis temporibus nec carnibus uestebātur, nec
 animalia diis immolabant, sed liba & fructus, cæteraq;
 huiusmodi sacrificia pura diis offerebāt: nam uesci car-
 nibus, ut inquit Plato lib. 6. De legibus, & deorum aras
 polluere sanguine, impiū uidebatur. Qui uolebāt sacris
 Isis initiari, illis ieiuniū decem dierum indicebatur, dicē-
 te Apuleio lib. 11. Illud planè cunctis arbitris præcepit,

decē continuis illis diebus cibariam uoluptatē coërcerē,
 neq; ullum animal essem, & inuinius essem. Linius scri-
 bens de matre filiū initiatura Bacchanalibus, refert de-
 cem dierū castimonia opus esse. Vnde Hieron. uerissimè
 ait, Vēter & genitalia sibi metipsis uicina sunt, ut ex uici-
 nitate mēbrorum, confederatio intelligatur uitiorum.
 Item Cyprianus, leuius uitiorum sentina siccatur, pe-
 tulantia marcet, concupiscentia languet, fugitiuæ abeūt
 uoluptates. Vidant igitur, qui uel grauatē abstinentia
 utuntur, uel qui religionis causa abstinent, uerū quum
 dies festus uenerit, saturantur ad uomitum, quā turpe
 sit homini Christiano non abstinere, aut nō abstinēdum
 esse modis omnibus docere, quum præsertim intēperan-
 ter uiuere, non tam malè uiuere sit, ut quidā sapiens ait,
 quā diu mori. Item nostris mos est, mensam iam instru-
 etam sacris quibusdā cōsecrare uerbis prius quā uesti-
 incipiant: quod ad imitationē Christi fit, quippe qui eū
 ritū seruasse fertur, quum in deserto quinq; panes conse-
 crauit. Est insuper usus agendi gratias post prandiū coe-
 nā uel, id quod uel illum facere consueuisse constat, &
 Apostolus fieri præscripsisse uidetur, qui, ut paulò supe-
 rius ostēdimus, ait bonum esse quodcunq; ciborū genus,
 si cum gratiarū actione capiatur. Potest & ab Hebræis
 uideri sumptum, quia illi immolatas edebāt escas. Quod
 uerò consuetudinis est, ut dum comeditur, sacra legātur
 scripta, hoc ex uetustissimo more habetur, uel diuo Au-
 gust. teste, in libello de communi uita sacerdotum, ubi
 inquit, Quum acceditis ad mēsam, donec inde surgatis,
 quod uobis secundū consuetudinē legitur, sine tumul-
 tu,

tu, sine contentione audite, ne solæ uobis fauces sumât cibum, sed & aures esuriant Dei uerbum. August. haec enim. Hoc ego ex Seruatoris instituto profectū dixerim: ille enim cum aliàs sæpius edendo docere cōsueuit, tū postremò inter cœnam, discipulos uescens de ratione consummandorum omnium ferè mysteriorum religionis docuit, uelut Matth. cap. 26. abundè demonstrat. Vnde patres ut memoriam frequentarent tam salutaris instituti, hunc sacre scripturæ in mensis legendæ ritum, iam inde ab initio introduxisse uidentur.

De origine rationis festorum dierum apud Romanos, & nostros, & cur constituti sint, & soli Deo esse sacrificandum, ac de more natalem colendi diem sacris conuiujs & uoluptatibus, paschaq; celebrandi, & consecrandi paschales candelas. Cap. VII.



Vt eos sua habuisse sabbata, hoc est, dies festos, supra declarauimus abundè, quum de ritu sacrificandi facta est mentio, qui quæuis festum diem perinde sabbatū uocabāt, ac Romani ferias, quarum apud eos quatuor in primis erant genera. Statuæ uniuersi populi cōmunes, quæ certis & constitutis diebus fiebant, in quibus præcipuè edebantur ludi, id est, lupercalia, agonalia, carmentalia, cōsualia. Agonalia Festus uocat sacra Dei Agonij præsidētis rebus agendis: sicut carmentalia dicuntur sacra Carmentæ matris Euandri, quæ ita nuncupata est quòd mulier fatidica carminibus respōsa daret: nam ei antè Nicostrata nomē fuerat. Cōsualia à Romulo instituta Conso, quæ cōsiliij Deū putabāt. In circo maximo ad aram, teste

Dionysio, subterrancā sacrificia & ludi fiebant, quibus uirgines Sabinæ raptæ fuerant. Cōceptiuæ, quæ quotannis à magistratibus uel sacerdotibus concipiebantur, in certos siue in incertos dies, ut erant Latinæ, semētinæ, paganalia, cōpitalia. Imperatiuæ, quas Cōsules uel Prætores pro arbitrio indicebāt. Et nundinæ paganorū ac rusticorum, quibus ad negotia & merces conueniebant. Itē nouēdiale sacrū, cuius origo talis fuit: Quum enim Tullio Hostilio rege, Romam esset nuntiatū, in Albano mōte lapidibus pluisse, placuit ut nouē dierum feriæ celebrarentur. Quæ religio in multas exiuit ætates, ut quoties tale esset prodigium, huiusmodi nouēdiale fieret sacrū. auctor Lilius, ab urbe cōdita. Erant præterea priuatæ, ac propriæ familiarū, quas quæq; familia ex usu domestica pietatis seruabat, ut Claudiæ feriæ, & Aemylia. Itē singulorum, ut natalium dierū, quæ natalitiæ dicebātur, & fulgurū, & funerum expiationes. Fuit mos iste & apud Persas, ut suum quisq; diem natalem pro facultatibus, multis sacris ac opiparis cōuiuīs colerent, unde ad Romanos forsītā fluxit, quibus in solis natalibus sacris, sese uariis etiam libidinis intemperantiæ uoluptatibus dare fas erat. Verg. in Bucol. præclare demonstrat,

Phyllida mitte mihi, meus est natalis Iola.

At in aliis castè dies agebāt, ac tam natali die, quàm funerū, in tēpla cibos pauperibus afferebāt, ibiq; edebāt. Manauit & ad nos institutū, quādo teste Tertul. lib. De mil. corona, nostri illis ipsis diebus oblationes faciebāt, in tēploq; unā epulabātur, quæ postea luxuries Nicenæ synodi decreto sublata est. Fuit uel Ambr. tēporib. talis diei cultus

cultus celebris, qui epistola quadam ad Felicē episcopum Comensem monet natalē diē unicuiq; non ludis uoluptatibusve aliis, sed tantū precibus agendū. Sed is dies qui nobis primus illuxit, nunc prorsum apud nos in omnem uenit obliuionem, quō scilicet nostræ sordidæ infantiaē penitus immemores, omni tēpore pōst insolentiores euadamus. Fuerunt & feriæ denicales nominatæ, quæ agebantur, quum hominis mortui causa, familia purgaretur. Græci enim *νεκρῶν*, mortuum dicunt. Harum feriarū meminit Columella hisce uerbis, Nos apud pontifices legimus, feriis tantū denicalibus mulos iungere non licere, cæteris licere. Affirmabant autem pollui ferias, si in iis opus aliquod fieret: ideo per præconem denuntiabatur, nequod opus fieret, & præcepti negligens multabatur. Ac à feriis festi dies dicti sunt feriatī, quibus feriæ celebrabantur: sicut profesti à pro, uoce priuante, hoc est, non festi sunt dies, sed, ut ait Festus, procul à religione numinis diuini, qui erant ad rem uel priuatam uel publicam ministrandam, hominibus concessi. Erant uel fasti dies, quibus sine piaculo, Prætoribus licebat tria uerba fari, Do, dico, addico: & nefasti iis contrarij, quibus fari nō licebat. quæ omnia Ouid. in Fastis latè persequitur, & Liuius ac Dionysius appositè meminerunt, necnon & Festus. Hac ratione patres, quia lex Iudæorū umbra fuit futurorū bonorum, cōstituerūt dies festos, quibus Christiani omisissis profanis negotiis, diuinis uacaret rebus, sacrā scripturam perdiscerent, sacras audirent cōciones, debitumq; Deo honorē sacrificando, orādo, bene agēdo haberent, ac simul memoriā diuorū, dieb. qui illis sacri essent,

colerent: nã soli Deo sacrificandum est, testificante Barnaba, & Paulo. Is enim quum Lystræ claudum ex utero matris suæ iussisset ambulare, quemadmodũ in Actis commemoratur, & ille continuò nequaquam pedibus debilis exiluisset, ac turbæ ob id miraculum uoluisent ei & Barnabæ immolare, ambo conscisis tunicis suis exiuerunt in turbas, clamantes, atq; dicētes, Viri, quid hæc facitis? & ne s mortales sumus similes uobis homines, annuntiantes ut ab his uanis conuertamini ad Deũ uiuum, & reliq;. Diui uerò honorandi sunt, quòd iam filij et hæredes Christi, ut ait Apostolus, effecti sint, qui pro nobis orent, & idcirco illis templa & aræ dedicantur, ut simul eos, simul Deum debita ueneratione colamus. Vnde in Psal. 148, Laudate Dominũ in sanctis eius. Ad rẽ redeo. Primum omnium ab Apostolis, deinde à patribus festorum dierũ ratio inita est, uti proximo cap. subtilius disseretur, & præsertim Pascha, quia inde omnia religionis mysteria initium sumpserint, quod Pius primus Domini eo die celebrandũ constituit. Deinde orta dissensione super ea re, Victor qui sedere coepit anno circitèr CXCVI. à natali Seruatoris, sanxit ex sententia Eleutherij, cui in pontificatum successit, ut Pascha Dominico omnino celebraretur die, à quartadecima luna primi mensis, ad uigestimamsecundam, ne cum Iudæis Christianorum ratio congrueret, quibus moris fuit, illud solenne aliquanto prius celebrare. Id decretũ externorũ antistitũ quidã ab initio repudiarunt, rati se haud ineptè facere, qui nihil aberrarēt à Ioãnis instituto, qui charissimus fuisset Christo: & satis cõstaret, eũ ipsum quoad uixisset Iudæorum

more paschale tēpus obseruasse. Polycrates Ephesius episcopus de ea re scribens, Nos, inquit, inuiolabile celebramus diē, neq; adiicientes quicquā, neq; minuētes. Ita inter nostros eatenus est disceptatū, quoad ad eū quē nunc tenemus modū, illud sacrum sit constitutū celebratū iri, quī etiam quibusdam non satis probatur. Pascha, ut supra ostendimus, Hebraica est uox, & significat transitū: quod uerum esse Euangelista innuit, quū celebraretur à Domino Pascha cum discipulis, aiens, Ante diem autem festum Paschæ, sciens IESVS quia uenisset hora eius, ut transiret ex hoc mundo ad Patrem, etc. Cereæ paschales candelæ, ut Dominicæ resurrectionis sabbato per singula templa consecrarentur, Zozimus auctor fuit.

De primo festorum dierum instituto, & utrum Pentecoste fuerit Apostolorum temporibus dies festus: atque unde mos sit adscribendi bene de Christiana religione meritos ad diuorum catalogum.

Cap. VIII.



Radidimus supra diuum Ioannem apostolum Pascha celebrasse: id quod & alij fecere Apostoli, quos simul auctores fuisse perhibent, ut omnes illi dies quibus Seruator noster ad salutem atque disciplinam nostram aliqua peregisset mysteria, sacri essent, utq; apud posteros maiori haberentur uenerationi, eos primum religiose coluisse, quandiu uixissent. Cuiusmodi sunt dies Dominici, aduentus Domini, natalis, & circumcisio eiusdem, epiphania, item uirginis purificatio, quā uocant, quadagesimæ dies, Dominica palmarū, coena Domini, quando

post eucharistiam institutam, pedes lauit discipulis, pasceue, Pascha, ascensus Christi in cælū, Pētecoste. quod solenne ab Hebræis prius consuevit celebrari: apud eos enim postquam agnus immolatus fuerat, quinquagesimo deinde die, data est Lex Mosi scripta digito Dei. Quum Christus uelut ouis ut immolaretur, ductus à Iudæis est occisus, nostrū Pascha fuit, ac post quinquaginta dies discipuli Spiritum sanctum acceperē. Quanquam sunt qui tradant Pentecostes diem nō fuisse festum, Apostolorum tēporibus: in qua re eos hallucinari planē ostēdit Lucas, in Actis cap. 20. ita scribens, Proposuerat enim Paulus præternauigare Ephesum, ne tempus tereret in Asia: festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem Pentecostes ageret Ierosolymis, etc. Cur tanto Paulus opere ad illum ipsum diem agitandum properasset, nisi fuisset iam tum apud nostros festus quamcelebratissimus? Transfiguratio quoq; teste Origene, primū à Iudæis est: uoluit enim Christus, ut quemadmodū facies Mosi ex communi catione colloquij Dei, gloriosa facta est, sic dimisso iam uelo, sese transformatū Apost. Petrus & Iacobus & Iohannes contemplarentur. Sancti patres igitur huiusmodi sacrorum dierū rationē edocti, ut commodius plebs Christiana conueniret ad sacram concionem, & ad cultum diuinum concelebrandum, habito Lugduni antistitū conuentu, & illos sanxerunt dies esse colendos, & alios complures cōstituerunt, qui Christianis perpetuò festi essent, quibus aut sancti è uita hac calamitosa in cælum migrassent, aut aliquid in religione sanctum esset gestum. Qui nempe dies his sunt diuisi sacri, Stephano protomartyri,

Innocentibus, Syluestro, Iohanni Baptista, duodecim Apostolis, Paulo Gentium doctore, Deiparæ uirgini, Laurentio, Michaëli, Martino, & communiter omnibus sanctis, quod Bonifacij quarti decretum fuit. Is enim Pantheon uetustum Marci Agrippæ opus, diuæ Mariæ uirgini atque diuis omnibus, Phocæ Imperatoris permissu, ad 4. Iduum Maij sacr. uuit, exclusoq; malorum demonum cultu, quorum simulachra plura hic numero fuerant locum expiauit. Gregorius deinde quartus fertur auctor fuisse, ut id sacrum Calend. Nouembris celebraretur. Item & cruci ex qua pependerat salus nostra, sollemnis dies deditur, ac eucharistiæ ab Urbano quarto pariter dies dedicatus assignatusq;. Est & diuo Petro apostolo iam pridem rogatu Constantini Imperatoris, ad memoriam tormentorum, quæ pro religione tulisset, constituta festa dies à Syluestro, quæ ad uincula nuncupatur, prout in libello quodâ de uinculis Petri cõtinetur, qui D. Hieron. tametsi parum uerè, adscribitur. Deinde dies alij alijs, festis ex paruis quandoq; causis accumulati sunt: id quod haud scimus, an expedierit, quã præsertim uideamus eò redisse Christianorũ mores, ut quàm olim ex religionis usu erat hæc instituere, tam nunc præstare uideatur eadem antiquare, quã bona pars hominũ otium istud festorum dierum non ad orandum, non ad diuina scripta audienda, cuius rei causa datum est, sed ad omnifariam bonorum morum corruptelam augendam, in dies magis magisq; impudenter consumat, dictitans se id animi gratia facere, quasi planè sentiens cum Platone, qui ob illud ipsum, Deũ eiusmodi festa sacra instituisse aiebat. Atq; ita

bellè ethnicos perinde in hac re, ut in nimis multis aliis
 æmulamur, quod tantū absuit ut maiores nostri fecerint,
 ut etiā illud ipsum audaſter iisdem ethnicis uitio dede-
 rint, teste Tertull. in Apologetico, quū de Caesarum solen-
 nibus sacris loquitur, ubi inquit, Propterea igitur publi-
 ci hostes Christiani, quia Imperatoribus neq; uanos, neq;
 mentientes, neq; temerarios honores dicant? Grande ui-
 delicet officiū, focos & choros in publicum ducere, ui-
 catim epulari, ciuitatem tabernæ habitu aboleſcere, ui-
 no lutum cogere, certatim curſitare ad iniurias, ad im-
 pudencias, ad libidinis illecebras. Siccine exprimitur pu-
 blicum gaudiū, per publicum dedecus? O nos meritò da-
 mnandos! cur enim uota & gaudia Caesarum casti & so-
 brij & probi expungimus? etc. Non putauit Tertullia-
 nus futurum, ut ista omnia in nostros Christianos ali-
 quando caderent, qui hoc loco ethnicos deridet, & ta-
 men uenit tēpus, quū eos potius Caesarum, quā Christi
 solennes ritus celebramus. Faxit igitur Deus, ut pontifi-
 ces nostri tandē aliquādo istos festos dies utiles reddant:
 quod facient, si minuēdos ac castè agitādos curarint. Sed
 ad reliqua explicanda redeamus. Felix primus consulens
 gloriæ martyriū, statuit, in eorū memoriam annua sacra
 fierēt: ueluti Gregor. postea super eorundem corpora ut
 itidē sacrificaretur uoluit. Quod Vigilantius omnino re-
 spuendum censebat, prout latius explicabitur, quū de san-
 ctorū reliquiū mētio fiet. Fertur tamē Anacletus eius rei
 prior fuisse auctor. Ex quo cōsentaneū est, ut postea Fe-
 lix & rem diuinam ad martyrum memoriam faciendam
 decreuerit. Idem Felix, ut ueterum literis proditum est,
 auctor

auctor fuit, ut cuncti eo die uicatim feriantur, quo aliquod templū dedicaretur: uoluitq; ut si de consecratione ignoratum foret, utpote uetustate deletrice monumentorum, denuò cōsecraretur, affirmās nō dici iteratum, quod factum esse nesciretur. At Felix III. post hæc instituit, ut à solis episcopis dedicarentur templa, essetq; dies ille festus anniuersarius. Et illud ex imitatione Hebræorum, qui, ut suprā ex testimonio Iosephi ostendimus, eū quoq; festum diem agebant. Cæterum illud appositè admonendum, festū alicuius diuini uocitari diē, ac esse ei sacrū, quo ille è uita discessisset ad cælū: nā quemadmodū quis nasci dicitur, quū de utero matris in hanc prodit lucem, ita pari ratione potest meritò existimari natus, quum eius anima uinculis carnis soluta ad lucem redit æternā. Vnde mos inoleuit, ut dies huiusmodi diuorum uitæ extremos natales, & sacra illis solennia, nō funebria, sed natalitia appellauerimus. Natalis autem Seruatoris tantum, & Ioannis Zachariæ dies sacer solennisq; est, quòd uterque in matris utero sanctus effectus fuisset, teste Augustin. Est & Deiparæ uirginis postremò natalis quoque dies sacer habitus. Ut uerò mortales bene meriti inter deos referantur, mos est adeo uetus, ut penè nihil eo sit uetustius: quando antiquitas statim ab initio suos Reges ac alios cum ob accepta beneficia, tum ob uirtutes, deos facere consuevit, prout in primo huius operis uolumine sparsim diximus. Sed ante omnes, Romani in multis ceremoniis fœtitabāt, quod suprā li. 3. memorauimus. Huius rei rationē nostri pōtiffices sequuti non dubitāter uideri possunt: nā quòd Felix & Greg. annua sacra faciēda ad memoriā

martyrū instituerunt, illud planè aliud nihil fuit, nisi eos martyres decernere esse sanctos, & inter deos referre. Verùm postremò, ut ne unusquisq; arbitrato suo hūc uel illū pro diuo haberet coleretve, Alexāder tertius statuit, ut nulli mortaliū diuinus honor in terris haberetur publicè, nisi illi, qui prius ex edicto Apostolico in diuorum esset catalogū adscriptus. Hoc decretū inter decretales epistolas, in titulo de reliquiis sanctorū, scriptum leges.

Qui primi apud nos instituerint ut anniuersaria iusta mortuis fierent, quarto etiam nonas Nouembris, & ibidem quæ iusta sint, undeq; dicantur, & uel parentalia ac conuiuia ad sepulchrum quis primus concelebrarit: de legitimo tempore lugendi mortuos, deq; lugentium uestitu, eorundemq; corporis habitu, ac quando luctus minueretur, & quare Francorum reginæ, dum sunt uidua, albis utantur uestibus: & ibi locus ipse Cicer. enodatus. Cap. IX.



Ortuus iusta faciēda Pelagius Romanus pōtiffex primus curasse fertur: quod Isidorus Apostolis adscribit, qui & ipse illum modum exequiarum quæ hodie fiunt, adauxit.

Ambr. id ab Hebræis fluxisse ad posteros autumat, qui Iacob demortuum quadraginta dies luxere: & Moſen triginta: ſat eſt enim id tempus ſapienti ad lachrymas. Sed de exequiis ipſius Iacob dicamus aliquid, quò inter omnes conſtet morem iam id temporis fuiſſe cohoneſtandi hominū cœtu exequias in funere. Porro lib. Gen. cap. 50. ita leges, Ierunt cum Ioseph omnes ſenes domus Pharaonis, & domus & fratres eius, & uenerunt ad aream

Atad,

Atad, quæ sita est trans Iordanem, ubi celebrarunt exequias plâctu magno. Iusta autem sunt sacrificia siue exequiæ, quæ eò iusta dicuntur, quòd iure mortuis factitari debeant à uiuis, quia illi dū uiuerent, de his bene meriti fuerint. Ea uerò sacrificia pro salute mortuorum, statuta fuisse ab Apostolis, sicut Isidorus tradit, testimonio est Tertull. qui lib. de monogamia, loquens de muliere uidua, quæ unius uiri mortui dūtaxat deberet semper esse uxor, inquit: Enimvero pro anima eius orat, & refrigerium postulat, & offert annuis diebus dormitionis eius. Quod sanè pietatis officium quum ab ethnicis etiã præstaretur demortuis, ueluti in extremo hoc capite cognosci licet, iam satis certum est eam orandi pro mortuis consuetudinem inductam fuisse in nostram ecclesiã ab illis gradibus ueterum Christianorum ducibus Apostolis. At unde flexit iter oratio, iam reuertatur eòdē. Fuit & Romanis lugendi ratio, siquidem Numa diis manibus sacra adiecit, cum Libitinæ ara, siue Proserpina ea fuerit, ut multis persuasum est, siue Venus. Puerū trimo minorem lugeri uetuit: neq; natu grandiozem, plures dies lugendum censuit, quàm uixisset annos. Tempus lögismi luctus coniugalis in decē menses extendit, nō ut, sicut inquit Seneca lib. epist. 7. tandiu foeminæ lugerēt, sed ne diutius. Testatur idem Ouid. qui in primo Fast. sic ait,

Per totidem menses à funere coniugis uxor

Sustinet in uidua tristia signa domo.

Siqua uerò mulier ante decē menses ab obitu mariti nupsisset, probro notabatur, ut in lib. Codicis legitur, & ex decreto Numæ, provt ait Plutar. uaccam prægnan-

tem immolabat. Quod nēpe institutū si hodie cūm alibi, tum in nostra Anglia seruaretur, raros utiq; haberemus de armentis uitulos, quū bona pars uiduarum mulierum non expectet dum tempus illud ab obitu uirorum prætereat. Item in luctu foemina purpurā atq; aurū deponebant, albasq; uestes, teste eodem Plutar. in Problemat. inducebant, idemq; propinquos facitare uoluerūt, ut quēadmodū mortui corpus, albis uestibus uelarentur. Alba autē ueste idcirco cadauer exornabant, quia solus albus color sincerus ac purus minimeq; inquinatus est, & ob id mortuis aptissimus. Sic in Euangelio legimus corpus Domini sindone inuolutū fuisse, quo uocabulo lineū uelum significatur. Mox eādē purpurā & aurum quum eluxissent, sumebant. auctor Linius. Hinc arbitror natū, ut hodie reginae Francorum post mortem uiri, albis tantum induantur uestibus, & si qua uidua sit, Regina alba uulgō uocitetur. Apud Iudæos luctus triginta diebus finiebatur, id quod apud Anglos quoq; seruatur. Præterea lugentes induebant saccū: sic Iacob fleuit Ioseph, & Dauid operto capite, Absalon. testis est Hieron. Item caput barbāq; radebant. Esaias, In cūctis capitibus eius caluitiū, omnis barba radetur. Cōtrā nostris barba promittitur. Cæterū antiqui ut plurimū nigra uestimēta in luctu induebāt. amiculū nigellū, dicitur à Varrone uestitus lugubris, quod anthracinū uocabāt: ἀνθραξ enim Græcè carbo appellatur. Vnde Apuleius ait in Asino suo, lib. 2. Umbrosū demonstrat cubiculū, matronā flebilē fusca ueste contestā. Itē capillū sibi uellere, faciē unguibus lacerare, complodere manus, necnō caput, Iudæorū ritu, cinere

cinere inſpargere turpareq; dicente eodem Apul. lib. 9. Diſcerptæ comæ ſemicanæ, ſordentes inſperſu cineris. Præter hoc ultimum, reliqua omnia noſtri cum primis Itali, in re funerea iuxta demeter ſeruāt, ab ipſis priſcis, ut iam liquidò liquet, proculdubio accepta. Ipſum autē ueſtitum lugubrem omnes penè gentes noſtri Chriſtiani orbis annum integrum induunt: interdum tamē ante illud tempus deponunt, propter publicū gaudiū, uel ma- giſtratus ineundi honorem, aut nuptias faciendas. Ita o- lim Romano populo minuebatur luſus, quū ſuſceptum publicè notum ſoluebatur, ædes dedicabatur, luſtrū con- debatur: priuatis hominibus, quū puella deſpōderetur, quū honos in familiā ueniret, quum captiuus aliquis li- beratus domū rediret, aut quū natus eſſet propinquior quis cognatione, quàm is qui lugeretur. Illud itē ex mo- re eorundē eſt, ut apud nos cadauera abluātur, & quā- doq; ungantur, præſertim nobilium. De qua re Ennius,

Tarquinij corpus bona ſcœmina lauit & unxit.

Et Anna Vergiliana, — Date uulnera lymphis
 Abluam. Atq; id officij, ſicut etiam nunc fit, à pro-
 pinquioribus præſtabatur. Quòd hodie demortuorum
 anniuersaria iuſta fiunt poſtridie Calendarum No-
 uembrium, eius rei, ut fama eſt, & Petrus Damianus
 teſtatur, Odilo auctor fuit. Is uir præfectus monacho-
 rum Cluniacenſium, quū in Sicilia, ſedente Ioan. XVIII.
 Rom. pontifice, circa Aetnam montem frequenter au-
 dired gemitus clamoresq; qui ibi, teſte Trogo, partim
 ex fremitu ſeruientis æſtus maris, partim ex eructatio-
 ne Aetnei ignis, ubi acrior per ſpiramenta cauernarum

uentus incumbit, iugiter fiūt, ratus est cacodæmonēs lamentari, quòd per preces & sacrificia Christianorū anime mortuorum ab illis suppliciis liberarētur: nā cōstās uulgi opinio est, ad Aetnā montē, ubi perpetuū incēdiū tot iam seculis flagrauit, aut ad inferos aditū patere, uel ignea uoragine fontium animas expiari. Itaq; protinus egit cum suis monachis, ut postquā Calēd. Nouembr. in diuorū omniū honorē sacrificassent, sequēti itidē die cūctis uita priuatis iusta facerēt. Quod institutū ut pietatis plenū patres demū receperunt. Fuit is annus circitēr M. alter humanæ salutis. At iam pridē increbuerat mos hic apud ueteres parentandi ad sepulchrū, quod indicat M. Tullius in prima Philippica, dicens: Vt cuius sepulchrū nusquā extet, ubi parētur, ei publicē supplicetur. Et in orat. pro Flacco, Litemus igitur, inquit, Lētulo, parentemus Cethego. Sic fiebāt annua parētalia, id est, sacrificiū quotānis ad honorem mortuorū, id quod etiam Macrobius & Cato tradunt, ita scribētes: Laurentiā annuæ parentationis honore dignatā. Erant enim parētalia iusta & conuiuia, quæ in funere & ad sepulchrū parentū cognatorumq; cōcelebrabantur à filiis ac consanguineis, quorū auctor Aeneas fuisse fertur, qui eo pacto Anchisen parētē primus omniū honorauit, supplicationibus coluit, atq; eius memoriā nominis cōsecrauit, uel uti Vergilius lib. Aeneidos quinto describit. Sic nos illud ipsum institutū pro salute mortuorum seruamus. Vnde omnino factū uidetur, ut Odiloni in mētē uenerit huius religionis celebrandi anniuersarias demortuorum exequias. At locus Ciceronis, Litemus Lentulo, parentemus Cethe-

Cethego, modò citatus, & admodù obscurus, dignus est qui planior fiat. Litare enim, est bene promittere, uel deos post factù sacrificiù placare, aut ab eis uotù impetrare. Cicero igitur qui timebat, ne Flaccus, cuius defensionē susceperat, quòd ille cõiurationem Catilinæ patefecisset, damnaretur à iudicibus, iracundè quasi ait, Si ita acciderit, iam licebit bene promittamus Lentulo, ac sacrificemus Cethego coniurationis sociis, quando eorum manes pœnis innocentium ciuium expiabuntur.

De origine nouendialis septemdiualis quæ sacrificij, et de more offerendi pro mortuis, eosq; nõ lugendi, ac de sapienti Thracum instituto, & modo apud priscos offerendi funeris ad sepulchrum, atque de initio funebri pompæ, extruendorumq; sepulchrorum forma, ac eorundem iuris religione. Cap. x.



lebat sacrificium pro mortuis, nono die, quo quis sepultus fuisset, quod dicebatur nouendiale. Horat. in Epodo, Nouendiales dispere pulueres. Item ludi qui in honorè mortuorum celebrabantur, nouendiales nuncupabantur. Testatur idem Seruius super quinto Aeneidos, enarrans illud,

Præterea si nona diem mortalibus alium

Aurora extulerit: ubi ait, apud maiores modum fuisse, ut ubicunq; quispiam extinctus fuisset, ad domum suam referretur, octauo die incenderetur, nono sepeliretur. Donatus quoq; in cõmentario Phormionis dicit, in funere nonum diem uoti habere instaurationem. Hinc igitur apud nos hodie mortuorum iusti, septimo die à

funere, dēptis ex ueterū instituto illis duobus diebus sūt: ideoq; in canonicis decret. distin. 44. præcipitur, Nul-
 lus presbyter ad septendialia defuncti solēnia celebra-
 da uocatus, se inebriare ullatenus audeat: quandoquidē
 tunc largiter epulantur. Apud Anglos hoc fit uigesimo-
 nono die, postquā mortuus est sepultus. Nos uidemur se-
 ptimo die sacrificiū pro mortuis facere, sicut in nuptiis
 apud præscos septima dies instaurationē uoti habebat, ut
 quemadmodū hoc die initiū propagādi generis celebre
 erat, sic etiā illo eodē die finis cuiusq; solēnis haberetur.
 Fuit & mos offerendi pro mortuis: testis Tertull. in lib.
 De militis corona, Oblationes pro defunctis, pro natali-
 tiis, annua die facimus. Idem lib. De monogamia, ueluti
 superiori capite est demonstratum, similiter affirmat.
 Hinc profectō satis liquet, iā usq; à principio orti propē
 Euangelij, opinionē perquā sanctam per animos homi-
 num peruasisse, mortuos per piam uiuorum operam iu-
 uari. Cæterum quantū istud charitatis officium uita iam
 priuatis opituletur, docet Augustinus, ut eius testatur
xxxi diop. ita scribens: Neq; negandum est defunctorum
 animas pietate suorum uiuentium reuocari, quū pro illis
 sacrificium offertur, uel eleemosyne in ecclesia sūt. Sed
 illis hæc profunt, qui quum uiuerent, ut hæc sibi postea
 prodesse possent, meruerunt. Est quidā uiuendi modus:
 nemo tam bonus, ut nō requirat ista post mortē: nec tam
 malus, ut ei non profint ista post mortem. Et ut rem pla-
 niozem faciat, pergit: Quibus autem profunt, aut ad
 hoc profunt ut sit plena remissio, aut certē ut tolera-
 bilior fiat ipsa damnatio. Atq; quoniam nescimus quo-
 modo

modo cum illis in altera uita agatur, propterea orādum est iuxta pro omnibus, quò eis beneficium nostrū super- sit potius, quàm desit. Contrà non lugendum, dicente Cy priano, Nobis quoq; reuelatum est, ut constanter prædi- carem fratres nostros non esse lugendos accerstone Do- minica de cælo liberatos, quum sciam non eos amitti, sed præmitti, & recedentes præcedere. Et Hieron. ad Paulā de dormitione Blefillæ dicit, simul admonens, ne quis- quam ad id faciendum moueatur Hebræorum exemplo, quum illi ideo mortuos lugerent, quia ante Christi adu- tum, ad inferos nouerant esse descensuros. Vnde subdit, Nos uerò qui Christum induimus, quibus spes certa est ad superos remeandi, non debemus super mortuos con- tristari, etc. Quod gnauiter olim faciebant Masilienses Galliarum populi, qui sine lamentatione, sine planctu, funeris diem domestico sacrificio, necessariorumq; con- uiuiio finiebant: quod Angli hodie ritè seruant, animad- uertètes, credo, nihil ad rem attinere, humano indulge- re dolori, ut stultè conquerendo, quòd Deus immortalitatem suam noluerit nobiscum partiri, quum præsertim moriendo relinquamus labores & pericula, quæ statim nascendo subimus. Quapropter Thraces huius rei me- mores, natales dies hominū, uti alibi diximus, flebiliter, exequias cum hilaritate meritò celebrabāt. Illud per ap- positè addam: more prisco præcedebat funus, homines sequebantur, quasi post ipsum mortuum morituri, sub- sequunturq;: à quibus supremum uerbum dicebatur, Va- le, nos te sequemur. Vergilius,

—Salue æternum mihi maxime Palla,

Aeternumq; uale. Et de Polydoro,

—Animamq; sepulchro

Condimus, & magna supremum uoce ciemus.

Hinc exequias dici autumat Donatus, narrās illud Terē
tiani, Funus interim procedit, nos sequimur. Verū enim
uero hoc tēpore homines ordine præpostero præcedunt
in pōpa funebri, cadauere subsequēte, id quod ætate Hie
ron. fiebat, qui scribēs, ad Paulā de dormitione Blesillæ,
indicat ordinē pōpæ funereæ præire solitum ante cada
uer. Itē, teste Scruio, ad honorē præsertim regū & nobi
liū, cum faculis præcedebat populus. Verg. de Pallante,

—Lucet uia longo

Ordine flammaram, & latē discriminat agros.

Vnde haud dubiè ortum est, ut apud nos illud idē in cu
iuis funere seruetur. Præterea lectos ponebant. Idem
Vergilius in sexto de Marcello,

—Vel quæ Tyberine uidebis

Funera, quum tumulum præterlabere recentem.

Ferebantur in super mortui ad tubam. Idem,

It caelo clamorq; uirūm, clangorq; tubarum.

Et Persius hæc omnia ponit,

Hic tuba, candela, tandemq; beatulus alto

Compositus lecto. Item cum tubis, in funeribus ti
biæ quoq; ac tympana adhibebātur, & ea omnia, ut ho
minum mortuos lugentium animi languentes eiusmodi
sono excitati, minus dolorem sentirent, qui iis oblecta
mentis faciliè distrahi soleant. Auctor Alexander Aphro
disæus in Problemat. Et ad cohonestandas exequias, si
mul etiam maiorum imagines deferebantur, ludiq; fie
bant,

bant, ac alia, quibus Cic. pro Milone, testatur Clodiū caruisse. Clodius, inquit, sine imaginibus, sine cātu, sine ludis, sine lamentis, sine funere, sine laudationibus am-
 bustus est abiectus. Plato itidem suum ponit in 12. De legib: ordinem pompæ funebris, in funere præfectorū ciuitatis, qui eiusmodi erat: Indumenta omnia alba, luctus ploratusq; nullus. Chori duo, alter puellarum numer. 15. alter uerò totidem puerorum, qui feretrum circumstarēt, dum sacerdotes uicissim demortuum laudabant, eiusq; felicitatem totū diem decantabant. At postero die bene manē, iuniores capulum ad sepulchrum ferebant, eorumq; cælibes præcedebant equites cum equis, & cum armis pedites: deinde pueri patrios hymnos concinentes, & hos puellæ sequebantur, cum mulieribus iam effectis. Sepulchrū uerò erat sub terra, factus ex lapidibus fornix, etc. Istiusmodi sepulchri genus Itali hodie ut plurimum conficiunt, ut sit commune familiæ monumentum. Sed illud est magis usitatum, ut humato hominis, qui aliquo sit numero, corpore, terra operiatur mensa lapidea, quæ contineat nomen & laudem mortui incisam. Veteres pariter Græci atq; Romani, teste Cic. lib. de legib. 2. super tumulum mensam quoq; uel columellam tribus cubitis non altiore statuebant, cum ornamentis laudis quæ ad mortuos pertinerent, facta nominis mētionē honorifica. Lex præterea erat, ne sepulchrum quis deleret, nève alienum in illud inferret, ac ita multis cæremoniis ius sepulchrorum religiosum habebāt: quod nos quoq; tenemus, cum more circa sepulchrum ponendi arma & militaria signa, tanquam bellicæ laudis atq; uirtutis trophæa.

De primo usu uouendi uota Deo, ac nudipedalia sacra agendi, & qui primi inuenerint Litanias, id est, processiones, supplicationes, atque quare in ecclesiam inductæ sint: & cur sternuentibus bene precemur, oscitantesq; ac quiduis inchoantes sese crucis signo ualent, & de origine supplicationum nostrarum pompæ, ac de pio supplicandi introducendo modo. Cap. XI.



Olemus ad opem diuinã implorãdam tum maximè incumbere, quum maximè premimur, uel in re trepida uersamur, nostrisq; malis non possumus humanis uiribus aut consiliis mederi: & id quidem uotis aut precibus agimus, quibus Deus ipse præcipuè placatur. Vnde in Numeris legitur: Siquis uirorum uotum Domino uouerit, aut se constrinxerit iuramento, non faciet irritũ uerbum suum, sed omne quod promisit, implebit. Et propheta Asaph Psal. 75, Vouete & reddite, etc. Hinc faciendi uoti usus manasse uidetur: quod fit, quũ tacitè uouemus, aut quum aliquid promittẽdo, utputa imaginem argenteam, cereas candelas, Deo nuncupamus uota: id quod ueteres etiam facitabant, arbitrantes uotis & precibus deos in primis placatum iri. Sic Helenus apud Vergil. admonet Aencã,

Iunonis magnæ primum prece numen adora,
Iunoni cane uota libens.

Vtrumq; à nobis in periculis seruatur. Ea quoq; de causa, apud Iudeos nudipedalia sacra instituta fuisse constat, quæ, ut testatur Iosephus lib. de bello Iudaico secundo, cuiusmodi erant: his enim qui morbo uel aliis calamita-

lami-

laminatibus implicabantur, mos erat primum orare per triginta dies, & abstinere uino, atq; capillos radere, deinde nudis pedibus adire ad templū, hostiasq; immolare. Ad hæc sacra cum aliàs sæpius, tum id tēporis præcipuè recursum est, quū Nerone principe, Florus Iudææ præses miserandum in modū gentē opprimeret, quæ ob eius tyrannidem coacta est arma in Romanos ad extremū sumere, quo demū bello misera fermè tota deleta est. Igitur quū Iudæi omnia prius humana similiter ac diuina experiri uellent, quàm bellum tentare, postquā neq; pretio neq; precibus potuerūt cœercere seuitiam Flori, quippe qui, ne sua maleficia per accusationē Romæ patefierent, Iudæos studio ad bellū suscipiendum stimulabat, nudipedalia sacra uouerunt. Quapropter quū dies sacrorū aduenit, Bernice Agrippæ regis soror, teste Egesippo, eius religionis causa etiā Ierosolyma in templū uenit, atq; nudipes ante tribunal stetit deprecās Florū: quæ tamē tantū abfuit ut à Floro exaudita sit, ut etiam de suo periculo timuerit. Huius religionis Iuuenal. Satyra sexta meminit,

Observant ubi festa mero pede sabbata reges.

Item auctore Hieron. aduersus Iouinianū, quemadmodū supra libro 4. diximus, Apostolus Paulus in Cenchreis (est Corinthiorum portus, uti antè diximus, in Achaia) nudipedalia sacra egit. Ita nos calamitate aliqua affecti uouere solemus, nudisq; pedib. more Iudæorum ea persoluere, interim suppliciter orando: nam precibus ante omnia instandū: quod quum populus assidue faciat, multo magis sacerdotes, qui eius curā habent, piè precando præstare debent. Sic Moses, sic Aaron, sic Apostoli, sic

sancti denique patres iustam Dei iram orando mitigandam, dignumq; supplicium à populo sibi commissò auertendū curabant. Cuius rei rectè memor Mamercus Viennēsis episcopus, in frequenti motu terrarū, pōtifice Leone primo, supplicationes siue rogationes primus instituit, quas nostri Graiam sequuti uocem, litanias, et uulgò processiones uocant, quòd binos præcedendo bini longo ordine sequantur, à loco ad locū progrediēdo, ac magna uoce orando. Eæ minores nuncupantur, quas haud multò post Agapetus pontifex dicitur primus constituisse in singulos Dominicos dies, in templis, uel circa templa habendas, quod hodie ferè ubiq; gentium seruatur. Quidā tamen malunt processiones appellare, quia ea sacrificialis pompa publicè procedit. At eiusmodi processionum usum iā inde à principio apud nostros fuisse, testimonio est Tertull. lib. ad uxorem altero, quem fortè intermissum Mamercus renouauit: & illos à Iudæis mutuatos esse satis cōstat, qui primi ita occurrerunt Christo ex Bethania se Ierosolyma conferenti, quod euang. Ioannes cap. 12. præclare scribit, Postero die turba multa quæ uenerat ad diem festum, quā audissent quòd ueniret IESVS Ierosolyma, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei, & clamabant, Hosanna, Benedictus qui uenit in nomine Domini rex Israel. Post hæc Gregor. maiores instituit, quas omnis ordinis populus septeno ordine incedens alternis caneret, quum per id tempus quodā morbi genere laboraretur, quo inguinibus statim tumescensibus multi mortales interirent. Cuius pestis Paulus Montiscasini monachus, qui Longobardorum historiam scri-

scripsit, causam fuisse prodit, prodigiosum Tyberis incrementum, quod recedentibus inde undis, ingens serpentum numerus in urbem inuaserat, ac usq; eò aërem tabefecerat, ut inguinib. subito tumefactis, passim homines perirēt. Quod malum Pelagius, in cuius locū Gregorius surrogatus postea fuit, precibus auertere conatus, ieiuniū ac litanias indixit: sed & ipse inter alios interiit. Subiit aliud pestis genus, ut quum quis sternuisset aliquoties, cōtinuò occideret: unde mos, sicut quidā tradunt, creuit, ut audientes quempiā sternutantem illico dicerent, Te Deus adiuuet: quod hodie seruatur. Item et oscitare simul letale fuit, propter quod sese crucis signo repenti cōmunire consueverunt, & hoc etiam nūc ab oscitantibus fit. Hæc tamen uidemur physica quadam ratione potius obseruare: nam tres nostri corporis partes principales sunt, caput, thorax, & aluus: ac ut flatus alui exspiratio, & ructus uentriculi, ita sternutamētum est capitis, quo totum ferè corpus extenditur, ideoq; non modò caput, sed reliquas etiam partes bene ualere indicio est. Quapropter moribundos interdū sternutatorio excitare solemus, tanquā si hoc effici nequeat, nulla amplius sit spes salutis. Ex quo uidetur Arist. lib. 1. De natura animalium, de ea re ita scribere: Sternutamentum quoq; eadē agitur parte, quod flatus uniuersi eruptio est, signum augurale, & unum ex spirituum omnium generibus, sanctū & sacrum. Vnde mos, ut sternutatio ueluti bonæ ualetudinis index, sacra habeatur, & sternutantes salutemus, ac eis bene precemur, quod Tiberium Cæsarem plenum semper tristitiæ hominem, etiam in curru exegisse produnt. Item oscitantes

sibi timere ex quadam religione constat, quod oscitatio ex somno aut tædio sequatur, ac in iis qui febrem habet, sit aduentantis, seu potius augeſcentis febris indicium. Cæterum à principio ita usu uenit, ut nostri Christiani inittitū cuiuscunq; rei agenda à signo crucis facerēt, quod Tertul. in lib. De militis corona, perspicuè demonstrat, ita scribens: Ad omnem progressum atq; promotum, ad omnem aditum & exitum, ad uestitum & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia quacūq; nos conuersatio exercet, frōtem signaculo terimus. Harum & aliarum eiusmodi disciplinarū si legem expositules scripturarum, nulla legis traditio tibi prætēdetur: auctrix consuetudo, confirmatrix, & fidei obseruatrix, & cætera. Sed domum repedemus. Tum Gregorius mandauit, ut ubiq; gentium eiusmodi litaniarum modus seruaretur: hodie à sacerdotibus ob metum impendentium malorum canuntur, magna populi sequente caterua simul rogantis. At in re quoq; leta sepe publicè supplicamus, ut qui metu malorum antea uoueramus supplicando, postea optati compotes, & securi gaudentes, sic Deo gratias agamus. Quod uel ethnici faciebant, dicēte Verg. de Didone, ob inopinatū Troianorū aduentū gaudente,

Sic memorat: simul Aencam in regia ducit

Tecta, simul diuū templis indicit honorem:

id est, ut ait Seruius, iussit fieri supplicationes. Ita Romani factitabant, & aliæ pleræq; gentes, à quibus ad nos ritus eiusmodi dubio procul manauit: nam in supplicationū nostrarū pompa solent ludicra quædam præcedere, hoc est, ordo militaris equitum peditumq; uel effigies aliqua

aliqua arguta, loquax, ridicula, aut magnis malis latè
 dehiscens, dentibusq; sonitū faciēs, ualde formidolosa, ac
 alia oblectationes ludicræ uagari, in quibus Prophetæ
 representātur, alati pueri cōcinnūt, chorus inducitur scē-
 minarū & uirorū tripudiātū, hic agit David, ille Salo-
 monem gerit, alij reginas fingūt, alij uenatores ludūt, si-
 miā uel iumenta simul inducentes, ut deniq; in hoc ludi-
 cro apparatu multiuges recitētur historiæ antiquæ. Itē
 cereæ tedæ, & symphonie adhibētur: loca uelātur, quā
 pōpa uehitur. item pueri & puellæ ex fenestris uetātur
 despiciere, hoc est, ex fenestris deorsum uersum spectare.
 Præterea sacerdotes uel alij diuorū personas agūt, eorū
 imagines aut reliquias ferētes, uia & platcæ uariis odo-
 ribus conspergūtur, floribusq; sternūtur, ac demum ali-
 quot præficiūtur, qui iubeāt uia dari, ut pōpa sine impe-
 dimēto procedat. Sic sacrificalis pōpa apud priscos du-
 cebatur, teste Dion. lib. 7. Verū ex illis figuris quæ præ-
 ferebātur, aliā ridiculā Cato in M. Cæciliū uocat citeriā,
 dicēs, Quid ego cū illo disertè amplius, quē ego deniq;
 credo in pōpa uectitatū ire ludis pro citeria? Plautus ue-
 rò aliā formidolosam effigiē appellat māducē, in Ruden-
 te sic scribēs, Quid si ad ludos me pro māduce locē, qua-
 propter clarē crepito dētibus? Sed eius rei testimonium
 Apuleius in primis perhibet, qui lib. 11. summam singu-
 la exponit: ait enim, Ecce, pōpæ magnæ paulatim proce-
 dūt anteludia, uocib. cuiusq; studiis exornata pulcherri-
 mē. Hic incinctus baltheo militē gerebat, illū succinctū
 chlamyde copides (sunt enim copides cultri recurui) &
 uenabula uenatorē fecerāt. Nec ille deorat, q̄ magistratū

fascibus purpurâq; luderet. Vidi & ursam mansuë, cultu matronali sella uehebatur, & simiam pileo textili. Et sequitur, Iam sospitatricis deæ (lunam intelligit) peculiaris pōpa moliebatur. Mulieres candido splendentes amicumine, uario letantes gestamine, uerno florentes coronamine, quæ de gremio per uiam, qua sacer incedebat comitatus, solum sternebant flosculis. Et pergit, Illæ etiam quæ cæteris unguentis & geniali balsamo guttatim excusso, conspergebant plateas. Magnus præterea sexus utriusq; numerus lucernis, tedis, cereis, & alio genere ficti luminis syderum caelestium stirpem propitiâtes. Symphonie dehinc suauis, fistulæ, tibiæq; modulibus dulcissimis personabant, eas amœnus letissimæ iuuentutis ueste niuea & catalista (collobiū intelligit) prænitens sequebatur chorus. Et paulò post subdit, Et pleriq; qui facillè sacris uia dæri prædicarent, etc. si præcones erāt qui proclamare solebant, Hoc agite: quibus uerbis admonebant, reliquis rebus posthabitis, sola sacrificia curāda esse. Velabant loca, quæ ueheretur pōpa, sicut etiā fit apud nos. Causam tradit Verrius Flaccus, qui scribit, quū P. R. pestilentia laboraret, essetq; responsum, id accidere, quod dii despiccerentur, anxiam urbē fuisse, quia non intelligeretur oraculū, euenissetq; ut circensiu die puer de coenaculo pompam supernè despexerit, & matri narrarit quo ordine arcana pilenti, quod uehiculari genus est, cōposita uidisset. Quare senatui nuntiata, tunc placuit loca uelut contegi, quæ pōpa sequeretur. Ac ita ex illo peste sedata, puer qui ambiguitatē sortis absoluerat, prætextæ gestandæ munus impetrauit. Ambiguitas autem oraculi fuit in

uerbo, Despiceretur: nam interpretabatur, deos & ceremonias negligi, quum tamen oraculum intelligi uellet, deos deorsum uersum aspici, quod nefas erat, & ad pollutionem sacrorum pertinebat. Vnde & nostri hodie in supplicationibus pueris & puellis ex fenestris uetant despicere. Item eosdem priscos deorum imagines gestasse, testatur idem Apuleius, qui inquit, Secundus uestitu quidem similis, sed manibus ambabus gestabat altaria, id est, auxilia, quibus nomen dedit proprium dea summatis auxiliariis prouidentia. Hinc quoque in popa sacrificali nostri diuorum imagines uel reliquias gestitant. Itē & testimonio eiusdem constat, priscos consueuisse agere deorum personas, ita scribetis, Nec mora, quum dei dignati pedibus humanis incedere, prodeunt. Sic argute faceteque iocatus Apuleius: dicimus enim deos incedere humanis pedibus, quando homines in huiusmodi sacrorum popa, sustinent personas & deorum nomina: de quibus Tertull. ait, Ipsos deos nostros saepe noxij induunt. Hunc & nos ritum pariter seruamus, sed haud scio, an tam recte quam belle illud fiat: uereor, inquam, uereor, ne iis in rebus diis potius gentium quam Christo gratum facianus: nam illi suos cultores in suppliciiis, ut Sallustius perhibet, magnificos esse uolunt, hic uero nihil magis quam illud horret, qui inquit: Tu autem quam oraueris, introito in cubiculum tuum, & clauso ostio ora. Et quid igitur fiet nobis, si contra praecipitum uenerimus? Imo fiat quiduis, nos tamen uenimus contra: cuius rei ut magis pudeat, unum ex sexcentis, ethnicorum exemplum ualde mehercule memorandum ponam. Athenienses enim, ut Plato in suo Alcibiade secundo

prodit, solebant quotannis multò sumptuosissimas sacrorum pompas celebrare, ac magno facere sacrificia apparatu. Contrà Lacedæmonij ea omnia præparcè, ut qui plus hærent in precibus. Quapropter quoties res ulla inter eos erat populos, Atheniensium semper longè existabat inferior: qui tantæ calamitatis causam scire auentes, Iouem Ammonem per prophetam consulere. Propheta ad ea respondit, id accidere, quòd Deus pluris Lacedæmoniorum castas preces, quàm Atheniensium magnifica faceret sacra. Nostram igitur ethnicorum æmulationè in supplicationum ritu, fas tãdem aliquãdo esset moderari: id quod maturè fieret, si procul à publicis supplicationibus omne ludicrorũ genus, ac quicquid cõtra pietatis cultũ est, de medio remoueretur. Quandoquidè modus iste supplicãdi introductus est, ut in rebus secũdis ordine cuiusdã celestis exercitus cõposito, leti triũpharemus de uictoria Christi in cruce adepta pro nobis, sic ut Apost. ad Coloss. docet, ex quo crux ipsa ueluti signũ militiæ Christi præfertur: aut in aduersis tristes Deum precaremur, ueneraremur, atq; imploraremur, ab eoq; ueniam, auxilium & pacem summissè peteremus.

De origine uasorum indumentorumque sacerdotarium, ac de primo eorundem sacrandorum instituto, & unde usus tintinnabulorum, item uelorum, cortinarum, candelabrorum & uexillorum. Cap. XII.



Alices in quibus consecratio diuini sanguinis fit, principio ligneos fuisse satis constat: atq; id pauperum Apostolorum institutum dixerim, qui sic uoluerunt modis omnibus

mate-

materia auferre sacerdotibus inhiandi opibus, quas ipse in primis neglexissent. Zepherinus postea mandauit, ut in uitreo uase, non in ligneo, ut antea, sacrificaretur. Antiquatum est id decretum paulatim, cautumq; ne in ligneo uase sacerdos rem diuinam faceret, propter materie raritatem, qua liquor imbibitur: neq; uitreo, quia fragile: neq; ex metallo, ob tetrum saporem, quem inde concipit: sed in auro, aut argento, aut si utrunq; desit, in stanno. auctor Gratianus. Sunt tamen qui hoc primum Urbano primo assignent. Linteolum super quo inter sacra corpus Christi ponitur, Sixtus primus pontifex iussit, ne ex alio quam ex lineo panno, & quidem purissimo fieret: id corporale uocant. Eiusdem quoque sanctio, ne sacra uasa profanae attrectarent manus, praesertim foeminarum. Item ab Hebraeis sumptum est, ut uestes sacerdotales, cum altarium tegumentis ac reliquis rebus ad usum templi necessariis sacrarentur, & uestimenta ipsa sacerdotibus aliisque initiatis assignarentur, qui ea induerent, quum sacris essent operam daturi. Quod Stephanus pontifex primus, apud nostros primo sciendum statuit: nam in exordio surgentis religionis, sacerdotes rem diuinam facturi nihil superinduere consueuerunt, quum potius sese intrinsecus animi uirtutibus uestire, ac uitiiis corporis exuere studerent, quam novos sumere apparatus, qui apud ipsos Hebraeos magna habebantur uenerationi, teste Origene super Leuiticum, ubi ait: inuenimus & uasa ministerij sancta uocitata, & uestimenta sancta dici, & loca nihilominus sacerdotibus assignata. Quod tintinnabulorum sono populus inuitatur,

uocaturq; ad sacra audienda statis diei horis : Sabini-
 qui Gregorio successit, hoc decretū est. Aliud inde Ioan-
 nis 22. Romani pontificis præscriptū manauit ad poste-
 ros: is enim instituit, ut ter in singulos dies, tintinnabula
 ad uesperum pulsarentur, ac tum unusquisq; ter saluta-
 tionē Angelicam diuæ uirgini sacrā recitaret. Institutum
 ita mansit, ut hodie ubiq; gentium sit in usu, atq; audito
 tintinnabuli sono, cūctico festim in uestigio genua flectāt,
 atq; orēt. Ipsorum autē tintinnabulorū usus ab Hebræis
 itidē manauit: princeps enim sacerdotū, uti est apud Iose-
 phū, lib. Antiq. 3. superinduebatur tunica hyacinthina,
 ex cuius fimbriis tintinnabula pēdebāt, quæ sonitū ede-
 rent, quū ille esset sancta sanctorū ingressurus. Sed Ori-
 genes rem commodē super Exod. exponit, scribens, Ha-
 beat etiam pōtifex per indumēti circuitū, tintinnabula,
 ut ingrediens sancta, det sonitum, & non intret cū silen-
 tiō. Et hæc tintinnabula quæ semper sonare debēt, in ex-
 tremo uestimēto sunt posita: idcirco, credo, ut de extre-
 mis temporibus & fine mundi nunquam silcas, sed inde
 semper sones, inde disputes, & loquaris, secundum eum,
 qui dixit, Memor esto nouissimorū tuorū, & nō pecca-
 bis. Ad hūc ergo modū, homo noster interior Deo ponti-
 fex adornetur, ut introire possit, non solum in sancta,
 sed in sancta sanctorū, & reliqua. Sunt sexcenti præter-
 ea tintinnabulorum usus, præterquā in domo Dei, quod
 silentio prætereundū duxi, quum tale quid persequi lō-
 gè à nostro abesset instituto. Item & ab illis accepimus
 uelū, quo apud eos sancta à sanctis sanctorū diuideban-
 tur, & apud nos itidē altare princeps ab ea templi par-
 te,

te, in qua insidet chorus, separatur, tempore quadragesimali: itē cortinas, cādelabra, uasa, quibus utimur. Quae omnia atq; id genus multa cum Moses tum Salomon ad usum templi primū inuenere, ut in Exodo & in Regū libris patet. Quod uexilla circa dies paschales in tēplis eriguntur, id ea de causa fit, ut triūphus Christi, qui à morte insigniter resurrexit, sollemniter representetur: & illud uel ab ethnicis sumptum: nā quemadmodū illi signa militaria quae deuicto hoste cepissent, ut certa uictoriae signa in triūphis portabāt, referebantq; inter cetera honorū monumenta: sic nos paschali tēpore, uexilla in sacrorum pompa deferimus, in tēplisq; suspēdimus. Quo quidem tēpore rex ille noster fortissimus, mortis confractis uiribus, pede cōculcans tartara, soluit à poena miseris, uictorq; de funere surgēs, triumphauit pōpa nobili.

De primo apud Christianos imaginum cultu, de quē modo eas uenerandi à patribus constituto, atq; de prauo earundem abusu ad quāstum. Cap. XIII.



DE simulachrorum origine, supra in secundo est à nobis libro proditum: hic de illorum cultu iam agamus, quem non modò nostrae religionis expertes, sed, teste Hieron. omnes fermè ueteres sancti patres damnabant ob metum idololatriae, qua nullum execrabilius scelus esse potest: nam quum Deum, ut perhibet Ioannes, uidisset nemo unquam, quam ei formam dabimus? etsi Moses dicit, Deus fecit hominem, ad imaginem Dei fecit eum. quod ad animam Euseb. De preparat. Euang. lib. 11. scienter refert: id quod Ioānes Damascenus ad corporis formam detor-

quere nititur, quum de huiusmodi imaginibus colendis causam agit. At Moses nihil magis inculcat, sicut ex compluribus tam Exodi quàm Leuitici cōstat locis, quàm ne populus aliquid manu factum ueneretur. Et Propheta, Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulachris suis. Diuus quoq; Gregorius Sere num episcopum Masiliensem, quemadmodum in canonicis Decretis legitur, & ipse epistola nona, lib. epistolarum 9. attestatur, reprehēdit quòd imagines fregisset, & laudat quòd coli inhibuisset. Ceterum quia Lex per presentem umbram, ut in Numeros passim docet Origenes, futura bona significabat, ideo legimus in eodem libro, Mosē iussu Domini fecisse æneum serpentem, erexisseq; in eremo, ut ex populo, qui à serpentibus læsi essent, illum intuerentur, & sanarentur. Hunc serpentem ait D. August. typū fuisse Christi crucifixi, quòd perinde sanentur qui hunc pendentem in cruce contemplantur, atq; qui illum aspiciēbant. Sed illud ipsum Seruator ipse manifestius testatur, Et sicut Mosēs exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Hebræi serpentem tam salutarem non potuerunt non uenerari, quippe quem, ut rem sanctam, religiosè seruarunt usq; ad tempora Ezechie regis, qui cum postremò confregit, quò sic populū in idololatriam turpiter lapsum, ad pristinum cultum reduceret. Fuit æneus serpens datus, ut signum diuinæ potentie: nam longo post tempore Christus seruator, qui, ut Apostolus ait, Dei imago erat, & loco Mosæi serpentis in crucem

leuan-

leuandus, nobis intuentibus salutē pārere, formamq; hu-
manam induere uoluit, & factus homo uisus cognitusq;
est à mortalibus: id quod nunquā antea patuit, sicut ipse
affirmat discipulis suis, ita loquens, Beati oculi qui ui-
dent quæ uos uidetis: dico enim uobis, quòd multi Pro-
phetæ & Reges uoluerūt uidere quæ uos uidetis, & non
uiderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt, etc.
Illi haud diè felices fuisse, dicente Ouidio,

Felices illi, qui non simulachra, sed ipsos,

Quiq; deū coram corpora uera uident.

Et quia in ea humili forma, propria uirtute miracula su-
pra fidē edebat, idcirco ut Deus habitus est. Cuius qui-
dem rei fama efficiebat, ut undiq; populorum concursus
ad eum fieret, qui illius faciem diuinæ lucis fulgore ni-
tentem haud dubiè sic contemplantur, & ueneraban-
tur, ut eius effigiem iam iam mētibus infixam aut pingere
uel sculperetum primū cœperint: quòd cum primis
fecerunt idolorum cultores, qui in rempublicam Chri-
stianā uenerunt, quòd testatur Eusebius, qui circiter an-
num salutis CCCXX. claruit. Is in historia ecclesiastica
lib. 7. demonstrans Cesaream cognomēto Philippi, eam
esse urbem quam Phoenices Paneadā uocant, ita scribit:
Mulierem quam sanguinis profluuiū laborantē à Serua-
tore curatam Euangelia tradiderunt, huius urbis ciuens
constat fuisse, domusq; eius in ea etiam nunc ostenditur:
pro foribus uerò domus ipsius, bāsis quædam in loco e-
ditiore collocata monstratur, in qua mulieris ipsius ue-
lut genibus prouolutæ, palmasq; suppliciter tenden-
tis imago ære uidetur expressa. Adstat uerò altera ære

nihilominus fusa statua, habitu uiri stola comptè circum-
 dati, & dexteram mulieri porrigentis. Huius ad pedes
 statuæ è basi herba quædam noua specie nascitur, quæ
 quum exorta fuerit, ex crescere usq; ad stolæ illius ærei
 uestimenti fimbriam solet, quam quum summo uertice
 crescens herba contigerit, uires inde ad depellendos om-
 nines morbos languoresq; conquirat, ita, ut quæcunque
 illa ualetudo fuerit corporis, haustu exiguo madefacti sa-
 lutaris graminiis depellatur, nihil omnino uiriû gerens,
 si antequam æræ fimbriæ summitatem crescendo conti-
 gerit, decerpatur. Hanc statuam ad similitudinem uul-
 tus Iesu form atam tradebant, quæ permansit ad nostra
 usq; tempora, sicut ipsi oculis nostris inspeximus. Et ni-
 hil mirum, si ij qui ex gentibus crediderant, pro benefi-
 ciis quæ à Seruatore fuerant cõsequuti, huiusmodi uelut
 munus uidebãtur offerre, quum uideamus etiã nunc &
 Apostolorum Petri uel Pauli & ipsius Seruatoris imagi-
 nes designari, tabulisq; depingi. Hucusq; Eusebij uerba
 reddidimus. Iam apparet à Christianis positã fuisse sta-
 tuam Christo, quum aut in humanis uitã ageret, uel sta-
 tim post eius ascensum in cælum. Sed si Ioanni Damasce-
 no credimus, ipse suam effigiem, ut sui præsentem memo-
 riam, Abagaro Edisseniorum toparchæ (erat ea gens ul-
 tra Euphratẽ) dono misit. Abagarus enim, auctore eodẽ
 Euseb. quum audisset Iesum innumerabilia edere miracu-
 la, quia morbo tẽtabatur, scripsit ad eũ, suppliciter rogi-
 tãs, ut se sanatũ ueniret: cui Seruator per Ananiã tabella-
 rium, qui Abagari literas tulerat, respõdit, se, postquam
 assumptus esset, missurũ unum ex suis discipulis, qui eius
 uale-

ualetudinem curaret. Fuit ille Tatheus unus ex septuaginta, qui postea id officium erga Abagarum praestitit. Interim dum toparcha expectando nuntium salutis, iam morae haud satis patiens, animi pendebat, dicitur, ut Damasceno placet, misisse pictorem, qui formam eius fingeret: sed pictor cum ob uultus splendorem id efficere nequiuisset, fama est dominum admouisse ad faciem uestimentum seu sudarium, & illi suam effigiem impressisse diuinitus, atque mox misisse ad Abagarum, ut sic pium regem consolaretur. Alterum id genus sudarium, dum ad mortem subeundam ducebatur, dedisse fertur mulieri, quam profluuium sanguinis, ut supra ostendimus, liberauerat, cui, si recentioribus credere uolumus, Veronica nomen fuit: quod undecumque acceptum fuerit, hodie Romae persanctè seruatur in aede principis apostolorum. Item constans opinio est Lucam euangelistam pinxisse in tabellis aliquot figuram Deiparae uirginis, qua illa erat, quae hodie in quibusdam locis tam sanctissimè custodiuntur, quam religiosissimè coluntur. Apostolorum quoque imagines ad eorum corporum exemplum olim formatas à Christianis, idem Eusebius eo in loco attestatur, quem supra citauimus, qui inquit: Sed antiquas ipsorum imagines à quibusdam conseruatas nos uidimus. Quod mihi uidetur ex gentili consuetudine indifferenter obseruatum, quòd ita soleant honorare, quos honore dignos duxerint: insignia etenim ueterum reseruari ad posterorum memoriam, illorum honoris, horum uerò amoris indicium est. hæc ille. Hinc igitur natum, ut merito tam ipsi Seruatori, quam eius diuisi status & in templis poni, & uenerationi haberi consueuerit. Ac

quoniam eiusmodi diuorum memoria ut certo exempla-
 ri præ oculis posito, quam nobis imagines iugiter repræ-
 sentant, ad uirtutem et imitationem excitantur homines,
 atque imaginis honor, ut Basilius inquit, ad exemplaris
 transfertur honorem, iccirco patres eam consuetudi-
 nem non modò admiserunt, sed autoritate sextæ syno-
 di quæ Constantinopoli habita est, imperantibus Con-
 stantino & Iustiniano II. ipsius Constantini filio, ut in
 decretis canon. patet, statutum fuit, ut imagines sacræ di-
 uorum in templis haberentur, magnâque ueneratione co-
 lerentur, utpote quæ imperitioribus loco sacrarum lite-
 rarum forent, ad quas etiam Romanorum ritu, de quo su-
 præ lib. 2. cap. 23. memini, thus & cerei incenduntur.
 Fuit is annus salutis LXXX. alter supra DC. uel, ut non
 nemo sentit, DCCIII. quo Agatho Romanam tenebat sed-
 dem. Deinde Constantinus pontifex habita synodo, id
 decretum corroborauit, iussitq; ut imagines in porticu
 diui Petri depingerentur, quòd intellexerat à Philippo
 Imperatore eas è parietibus diuæ Sophiæ ignominie cau-
 sa abrasas fuisse, propterea illum hereticum pronun-
 tiauit. Leo deinde tertius fanatico spiritu percitus iti-
 dem fecit, quem Gregorius secundus pontifex per literas
 admonuit, ut omnis quorundam improborum errori-
 bus, ueram tãdem amplexus religionem, delere diuorum
 imagines desineret. Postremò Leone IIII. Imperatore
 mortuo, Hirene eius uxor cū Cōstantino filio sexto, impe-
 rium obtinuit, mulier uiro multò prudentior, forma pa-
 riter atque sanctitate insignis. Huius itaq; opera, conuen-
 tus trecentorum quinquaginta episcoporum est Niceæ
 factus, ut semel decerneretur, essent diuorum imagi-

nes templis restituendæ, an res in omne tempus repudian-
da. Tum quia inter cunctos satis constabat, Deum ab
initio simulacrorum fingendorum præmonstratorẽ fuis-
se, ac postea statuas ipsas tam diis quàm hominibus præ-
claris positas esse, partim memoriæ eorum retinen-
dæ causa, partim studio incendendi ad uirtutem ani-
mum illorum, qui imagines intuerentur, uti suprâ lib.
2. cap. 23. non utique obscure demonstratur, magno om-
nium consensu est decretum, ut Romanorum ritu ubique
gentium in templis haberentur, additaq; est colendi for-
ma duobus carminibus expressa, ut res ab omni idolola-
triæ suspitione abesset, quæ ex Græco in Latinũ ita uer-
sa fuerunt:

Nam Deus est quod imago docet, sed non Deus ipsa:

Hanc uideas, sed mente colas, quod cernis in ipsa.

Ecquis igitur tam dissolutus, tantæque audacia præditus
est, qui uelit possitue dubitare, seu aliter somniare, ne di-
cam sentire, uel cogitare de imaginum cultu, ac demum
sit tot longè sanctissimorum patrum decreto constitu-
tum? Ceterum illud atque adeò desiderari posset, ut sa-
cerdotes frequentius populum docerent, quoniam pacto
deberet & uenerari eiusmodi imagines, & apud eas sua
offerre donaria: quod quia illi tacent, & uulgò ex suo
usu tacere putantur, iccirco eò insaniæ deuentum est, ut
hæc pietatis pars parum differat ab impietate: sunt enim
bene multi rudiores stupidioresq; qui saxæas, uel lignæas,
marmoreas, æneas, seu in parietibus pictas, uariisque co-
loribus litas imagines colant, non ut figuræ, sed perin-
de quasi ipse sensum aliquem habeant, et iis magis fidant
quam Christo, uel aliis diuis, quibus dicatæ sint. Quo

fit, ut stultitiam stultitia cumulantes, illis offerant aurum, argentum, annulos geminatos, omnifariasq; gemmas ibidem senio perituras. Et, ut ad id faciendum plures inescantur, illi qui talem segetem metunt, numos perforent, filoq; pendentes in collo aut manibus ipsarum imaginum suspendant, donaria in locis conspicuis egregie collocent, titulosq; apponant, quod nomina offerentium & diis & hominibus notiora fiant. Sic bona pars hominum per hæc magis delirare inducitur, ac insuper longa aliquoties itinera conficere, ut unam imagunculam adeat, ibiq; donaria sua relinquat, prætermisso cuncto alio aut pietatis, aut charitatis officio: rata se omnino sat largitionis fecisse, sat pœnituisse, si inter itionem lautius uictitando aurum obtulisset, in cuiusvis thecam numariam inde iturum. Quam igitur sapientius, quamq; religiosius est ea ratione peregrinari, ut labore corpus dometur, sic, ut cogatur rationi seruire, & imagines uenerari, ut mens ad Deum protinus dirigatur, ac dona dare, quæ pauperibus usui esse possint, quãdoquidem ea dubio procul esse constat munera grata Deo, qui, ut Socrates apud Platonem in Alcibiade 2. ait, animum iustum respicit, non item munera. Atqui Lactantius manifestè demonstrat, quãmaximè aberrant illi, qui aliter seu faciunt, uel sentiunt, scribens: Vestes igitur, gemmas, & cætera quæ habentur in pretio, si quis putat Deo chara, is plane quis sit Deus nescit, cui putat uoluptati esse eas res, quas etiam homo si quis contempserit, iure laudabitur. hæc ille. Et diuus Hieronymus illum disserens locum apud Hieremiam, Et argento & auro decorauit illud (de simulacro loquitur propheta) ait: Qui quidẽ er-

ror ad nos usq; transiuit, ut religionem in diuitiis arbitremur. Eò etiam pertinet, quod Plato lege uetuit, ne deorum imagines ex auro uel argento ferròue aut ære fierent, sed tantũ ex ligno uel lapide factas uoluit, ut ne criminosi ex occasione rei pretiosæ, existimarent se propterea deos placare aut decipere posse.

De decimarum & primitiarũ ac primogenitorum redemptionis origine, & quis primus decreuerit, ut liceret sacerdotum collegiis fundos & prædia oblata recipere possidenda. Cap. XIII.



Vnus propheta Moses, teste Iosepho distribuit Hebræis possessiones, distribuit & Iesus eius successor: Leuitis uerò qui uacationem militiæ habebant, nulla terræ portio data, præter habitationem in singulis tribubus, & in suburbanis locis tantum agelli, quod satis esset ad iumenta & pecora alenda. Iste enim ordo Leuiticus uel Sacerdotalis, sapientiæ ac scientiæ Dei operam impendebat, huic lex Dei commissa erat, cui ut assidue absque ulla sollicitudine studeret, ac ne ob uictus inopiant cultus diuinus ab eo uel negligeretur, uel desereretur, necessum erat ut eum populus communiter iuaret, qui si, ut probè ait Origenes, quæ necessaria sunt, non præbuerit Sacerdotibus & Leuitis, occupati illi in talibus, id est, familiaris rei curis, minus legi Dei uacabunt. Illis autem non uacantibus, neque operam dantibus legi Dei, tu periclitaris; obscurabitur enim lux scientiæ quæ in illis est, te non subministrante oleum lucernæ. Quod tantum nefas ne ullo unquam tempore accideret, Moses, prudentissimus princeps legem tulit, qua, uti in Exodo,

Numeris, Deut. extat, & à Iosepho simul exponitur, primitias & decimas omnium frugum omniumq; pecudum Sacerdotibus & Leuitis offerri mandauit, sic ut omnis qui possideret agrum, uel uineam, uel oliuetum, uel etiam hortum, & si quid esset quod exerceretur in terris, sed & si quis pecuaria haberet, is offerret ex illis Deo omne, quod primum esset, & decimas quoque, id est, ad sacerdotes àfferret: Deo enim offerri dicit lex, quod sacerdotibus datur. Et hoc est, quod docemur ex lege, ut nemo homo licitè nec legitime utatur fructibus, quos terra produxit, nec animantibus, quæ pecudum protulit partus, nisi ex singulis Deo primitiæ & decimæ, id est, sacerdotibus dentur. Atque sic Moses, imò Deus ipse, cuius iussu ille cuncta gesserat, autor fuit, ut primitiæ & decimæ leuitis ac sacerdotibus offerrentur. Hanc legem utpote apostolica & euangelica autoritate corroboratam, Origenes super Numeros, seruari etiam secundum literam, sicut & alia nonnulla, necessarium probat aduersus eos, qui ex titulo legis omnia sacra scripta interpretari uolebant, quod nostro quoque tempore plerique tam stultissime quàm audacissime faciunt, dicentes: Si aliquid omnino seruandum est secundum literam, ut dicimus, hoc est, sine allegoria, sine arguta interpretatione, cur non & cuncta seruentur? Sed illi quidem non animaduertunt aliud esse legem, aliud esse mandatum, aliud testimonium, aliudq; iudicium, quæ præcepit dominus Mosi. Non est scriptum, ut inibi ait Origenes, Hoc est mandatum paschæ, sed, Hæc est lex Paschæ, quia lex umbra est futurorum bonorum. Cum ergo fit mentio Paschæ, ut de agno illo corporeo, debemus sentire spiritua-

liter,

liter, quia pascha nostrum immolatus est Christus. Simili modo de azymis et cæteris festorum dierum obseruationibus intelligere debemus, quæ sub legis titulo denotantur. Sunt autem mādāta legis, quæ secundum literā stant: & ita Seruator noster recipi atq; obseruari à nobis uoluit, cū dixit, Serua mandata: cuiusmodi sunt, Ne occidas, ne furtū facias. De nuptiis idem præcepit, ita dicens: Scriptum est, Propter hoc relinquet homo patrē & matrem, & adheret uxori suæ, & erunt duo in carnem unam. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. De primitiis & decimis mandatum similiter seruandum secundum literā, Domini uocibus docemur, qui in euangelio inquit: Væ uobis scribæ & pharisei hypocrite, qui decimatis mentham, hoc est, decimam datis menthæ, & cymini, & anethi, & præteritis quæ maiora sunt legis. Hypocrite, hæc oportet fieri, & illa non omitti. Vide, sermo Domini uult quidem, ut omnino fiant, quæ maiorā sunt legis, non tamen minora hæc omittantur, quæ secundum literam significantur. Quod à phariseis uult factum, multò magis uult à discipulis præstitum; quibus dicit: Nisi abundauerit iustitia uestra plus quàm phariseorum & scribarum, non intrabitis in regnum celorum. Quomodo autem plus uelit ut fiat à discipulis, quàm à phariseis, in eo declarat, ubi dicit: Dictum est antiquis, non occides. Hoc seruabant & pharisei. Discipulis autem dicit: Ego autem dico uobis, quia si quis iratus fuerit fratri suo, reus erit iudicio. Igitur ex his satis patet, oportere nos & primitias & decimas soluere, si uelimus non modò iustitiam nostram abundare plus quàm scribarū et phariseorum, sed eos officio tantum æquare,

qui de fructibus terræ suæ gustare non prius audebant, quàm primitias Sacerdotibus obtulissent, & Leuitis decimas separassent. Et quia munus primitiarum domino offerebatur, ideo Eutychianus pontifex Romanus uoluit, ut ipsæ fruges sic in altari consecrarentur, uelut apud Hebræos oleo & thure adolebantur. Seruatur hodie Eutychiani decretum nonnullis in locis. Verùm adeò sanctitas sacerdotum consenuit, & populi pietas refrixit, ut primitiarum nomen unà cum prouentu penè extinctum sit, cùm hodie loco primitiarum dominicis tantùm diebus panes aliquot sua sponte alibi offerant, alibi uerò solùm duos tresue dent, quos sacerdos prius consecret, ac eos inde frustatim diuisos populo distribuât, ut qui quondam illis diebus eucharistiam sumere consueuerat, ob eius rei memoriam, panem istum ante omnia cibaria prægustet. Atque illud fit ad imitationem Christi, qui ita panem sacrare prius solebat, quàm illum suis discipulis uel aliis porrigeret, ut uesterentur. Decimæ uerò adeò etiam grauatè à multis dantur, ut non nisi coacti id faciant, argumentantes magis egere qui eas dant, quàm qui recipiunt. Est aliud decimarum genus, quas sacerdotes sibi deberi contendunt ab opificibus qui manibus laborant, aut ab iis qui mercaturam exercent, uel stipendium faciunt, quales, autore Iosepho, constat Abraham dedisse Melchisedech Solymorum regi, à quo est hospitio acceptus, ex præda quam profligatis Assyriis secum tulerat. Quot autem decimarum genera apud Hebræos essent, & quomodo leuitæ et sacerdotes eas inter se partirentur, quisue modus foret primitias offerendi, Hieron. super Ezechielem cap. 5. & 40. facile declarat

rat, cuius uerba iccirco ponere haud superuacaneum diximus. Dicamus igitur, inquit, primum iuxta literam, *de uadala*, hoc est, deciman partem omnium frugum leuiticæ tribui populus ex lege debebat. Rursum ex ipsis decimis, Leuitæ, hoc est, inferior ministrorum gradus, decimas dabant sacerdotibus. Erant quoq; & aliæ decimæ, quas unusquisque de populo Israël in suis horreis separabat, ut comederet eas, cum iret in templum in urbe Hierusalem, & in uestibulo templi sacerdotes & Leuitas ad conuiuium inuitaret. Erant autem & aliæ decimæ, quas pauperibus recondebant. At uerò primitiua quæ de frugibus offerebant, non erant speciali numero definita, sed offerentium arbitrio derelicta. Et in libello ad Fabiolam, de cibis & primitiis sacerdotum, rem hanc luculentius disserens, dicit: Primitiæ ciborum & omnium frugum atq; pomorum offeruntur antistiti, ut habens uictū atq; uestitū, absq; ullo impedimēto securus & liber seruiat domino. Primogenita mundorū animalium accipiunt sacerdotes, & immundorum pretia, hominum quoq; primi partus redimuntur. Et quia conditio humana nascendi est communis, pretium æqualiter offertur, sic moderatū & leue, ut nec diues intumescat, nec tenuis prægrauetur. Aeditui & ianitores accipiunt decimas, & rursum decimas decimarum offerunt sacerdotibus, tanto illis minores, quanto ipsi maiores populo, etc. Quod primitiarum suo quisq; arbitrato, sicut Hieron. ait, plus minúsue dabat, illud tamen ter quotannis facere debebant: primum enim circiter pascha, cum fruges maturescere inciperent, ut est in Leuitico, cap. 2. Si autem obtuleris munus primitiarum frugum

tuarum domino, de spicis adhuc uirentibus, torrebis eas
 igni, & confringens in morem farri, offeres primitias
 tuas domino. Deinde ad festum diem pentecostes, panes
 ex nouis frugibus confectos: postremò circa festum diem
 tabernaculorum, fruges ipsas iam collectas offerrebant.
 Sed & unde ortum sit, ut primi hominum æque ac alio-
 rum animalium partus Deo consecrati essent, iam ap-
 positè dicamus. Cur primogenita offerrentur Deo, cau-
 sa ponitur in Numeris cap. 3. ubi legimus: Locutus est
 Dominus ad Moysen dicēs, Ego tuli Leuitas à filiis Israël
 pro omni primogenito, qui aperit uulua in filiis Israël,
 eruntq; Leuitæ mei. Meum est enim omne primogeni-
 tum, ex quo percussi primogenita in terra Aegypti, san-
 ctificauit mihi quicquid primum nascitur in Israël, ab ho-
 mine usque ad pecus. De interitu primogenitorum Ae-
 gypti mentio fit in Exodo, cap. 12. Sanè singuli primo-
 geniti undecim tribuum, quando primi qui nascebantur
 in tribu Leuitica, ad templi ministerium applicabantur,
 de sacerdotibus redimebantur quinis siclis. Siclus autem
 quantum ualeat, suprâ lib. 2. cap. 3. docuimus. Primoge-
 nitum uerò animalis non mundi aut mundo commutari,
 uel occidi solebat: etenim animal aliud mundum habe-
 batur, quod edebatur: aliud non mundum, quod non li-
 cebat offerre, sed uelut natura mundum commutabatur,
 ut asinus, qui oue redimebatur: aliud item non mundum,
 ut canis, quem neque offerri neque commutari fas erat,
 propterea occidebatur. Verùm ad propositum iam re-
 deat oratio. Non abs re igitur Seruator noster hasce de
 decimis sanctiones approbavit, qui quippe uoluit, ut qui
 euangelium annuntiarent, ex euangelio uiuerent, æe
 pro-

propterea patres lege sanxerunt decimas esse soluendas, sicuti latè patet ex compluribus decretalibus pontificum epist. Quid quòd Romanos Mosaicam legem in hoc non aspernatos istud institutum seruasse cõstat? nam Herculi decimas dare locupletibus ac nobilib. antiquus mos fuit: & Lucullus, quia hunc ritum seruasset, auctior factus est postea. autor Festus. Quin & primitias dari consuetudo erat. Sanè Liberum patrem, qui & Bacchus dicitur, post deuictos Scythas, aliosq; populos, magno Ioui rerum primitias obtulisse, autor est Ouid. in 3. Fast. Et Cyrum regem Persarum uictis Lydis, decimam quoque prædæ Ioui dedisse testatur Herodot. Sed iam ad rem familiarem ueniamus. Ut enim Christus Seruator decimas non repudiavit, sic nec ex decimis opes priuatim cõgeri uoluit: quare ut uitium auaritiæ, quod, ut ait Apostolus, idolorum seruitus est, à suorum præsertim sacerdotum cœtu eiiceret, repelleret, exterminaret, paupertatem elegit, eamq; suis discipulis maximè commẽdauit, cum dixit: Qui non renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus. Et alibi: Vade, uende omnia tua quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & ueni sequere me. Sed ut Christo paupertatem, quæ habet suum commodum, suamq; munditiam, tribuimus, ita sordes ac mendicitatè minus assignemus necesse est: siquidem ille dum inter mortales uersatus est, non ostiatim cibum petiit, quippe quem secum loculos detulisse, & suis discipulis abundè uictum suppeditasse, ac egenos simul iuuisse satis constat. Item ipsi Apostoli postea nec in cibus petendis operã posuisse dicuntur, quando in Actis legimus pios Christianos certatim

possessiones uendidisse, & pretia earum afferentes possuisse ante eorum pedes, quæ distribuerentur singulis, prout cuiq; opus esset: & sic nemo inter credentes egenus erat, quoniam omnia communia habebant. Ecce magnas in communitate diuitias, quæ in priuato paupertas habebantur: hæc diuitias non uetuit Christus à suis ministris possideri, quæ cunctis egentibus usui esse possent. Quapropter Urbanus uir sanctitate uitæ & doctrina singulari, qui sedere cœpit anno CCXXXVII. ab eo, qui fuit humanæ salutis primus, decreuit primus, ut sacerdotibus liceret prædia ac fundos à cultoribus religionis oblatos recipere, nihilq; cuiquam priuatū esset, sed ad cōmune bonū. Prædia recepta sunt, uel ad ipsum commune bonum omnino, quandoquidem postea omni tempore fuerunt atque sunt sacerdotum domus, collegia, ac monachorum cœnobita omnibus, & ipsis sacerdotibus communia, & aliis perhospitalia & apertissima. Etsi paulatim hominum rapacitas & libido fecit, ut maiore ex parte oblitterata fuerint extrema decreti uerba, id est, Ad commune bonum: & loco illorū, illæ duæ semper religioni pestiferæ uoces, Meum & Tuum, inscriptæ fuerint, quæ ita multos transuersos agunt, ut sacerdotiū nihil aliud nisi quæstum, nisi hæreditatem ac dominatum esse putent, & quanto ueteres patres abstinentiam arctius constrinxerant, tanto isti intemperantiæ frena insolentius laxent. Quod postremum effecit, ut priuata cōmoda longè potiora publicis haberentur: unde maleuolentiæ, simultates & odia orta: nanque ex communi priuatum facere, semper discordiarum causa fuit. Cœpit deinde Romanus pontifex diues fieri, quem

Lucina uirgo sanctissima, Marcello sedente, moriens prima omnium fecit heredē. Hęc multis egit precibus cum Cornelio pontifice, ut apostoli Pauli corpus extra Capenam portam, uia Ostiensi, ubi capitis fuerat supplicio affectus, in suum prędium transferret, & Petrum in Vaticanum, quę & ipsius Cornelij corpus in prędio quoq; suo sepeliuit. Deinde Constantinus eundem pontificem, ut apud uulgus fama est, locupletauit affatim. Sic alij alicuius dedere loca, unde tam late nunc patent opes. Ceterum Urbanus in hoc secutus esse uidetur Hebręos, apud quos sacerdotiũ opulentissimum fuerat, quoniã sacerdotes in honore haberi debent, quos in primis paupertas in uulgus despiciatiorē reddere solet, atq; inde fieri, ut eis minus credatur, id quod religionē maximē offendit.

POLYDORI VER-
GILII VRBINATIS DE INVEN-
TORIBVS RERVM LIB. VII.

De monastica uitę principio. Cap. I.



Euangelicę & apostolicę uitę initiis hactenus diximus: in hoc uerò uolumine nouus ac uariis uiuendi modus demonstrabitur. Cũ enim à maioribus tantopere degeneratũ, ab eorumq; disciplina ac uitę sanctimonia sic longè discessum foret, ut supra est sparsim declaratum, tam Romani deinde pontifices, quàm ubique gentium antistes nihil prius, neq; quicquam antiquius habuere, quàm ordinis sacerdotalis sic labentis reuocare gradum, sic peccantis cõpescere insolentiã, promulgatis ab se nouis quoti-